

57




PROBLEMATUM LOGICORUM
RODOLPHI
GOELENII PROFESSORIS
Academici in Schola
Marpurg.
Pars secunda.



Cum Gratia & privil. S. Cz. Majest.
MARPURGI,
Typis Pauli Egenolphi, Acad. Typogr.

M. D. XCVI.



NOBILITATE ET CLARI-
TATE GENERIS INSIGNIBUS: SUM-
maq; spe & animi & ingenii præditis adolescenti-
bus: *Adamo Gans* ab *Otzburgk*: & *Eberhardo* ac *Lieb-
werto* *Bischoppinck* fratribus: Itemq; *Guilhelmo* à
Dorne *Dantiscano*, discipulis suis honestissimis,
& optimarum doctrinarum virtutumq;
egregiè studiosis:

S. P. D.



Acta est tandem *alea*, *Nobiles*, & præclarissimarum rerum studiosi adolescententes. Vos enim mihi appellandi estis. Quid hoc rei est, quaritis? Dicam equidem breviter. Quoniam & numero apud me sunt nullo, qui cum vix leviter literis tincti sint, continuo scriptitandis libris ingenij famam, laudisq; eternitatem aucupantur: & novi quam gravis ad-versaria constituta sit ijs, quamq; ancipitem judiciorum aleam subire cogantur, qui hoc eruditissimo seculo aliquid in manus studiosorum exire patiuntur: nunquam cogitavi faciendum, ut aliquod singulare opus mei literarum monumentum exstaret. Sed expresserunt mihi tandem amici, diu multumq; apud me instantes, & ex umbra in lucem protraxerunt, questionum & disquisitionum mearum *Logicarum* partem primam, *Problematum* inscriptione insignitam. Quæ cum excepta sit a viderè, cum ab alijs multis, tum verò in primis & verè nobilibus adolescentibus *Bernhardo* & *Iohanne* à *Linsingen*, itemq; *Hermãno* *Riedesel*, discipulis meis gratissimis: ac insuper optimi quidam viri (inter quos *Iohannem* *Beuteferringium*, principalis gymnasii *He. sfeldensis* Rectorem, præcipuo loco habeo) me & significatione iudicij sui confirmaverint, & cohortati sint, ut abjecta omni cunctatione reliquas quoque partes adornare, adornatas conficere, confectas in publicum emittere: Eas ob res secundam partem prælo subjeci, quam quæ ob angustias temporis censoria animadversione nõdum satis à me recognitam. Volui autem eam sub vestris dominibus

sunt argumenta. Hoc iudicium par est isti: Quod animal rationale est hominem esse probatione non eget. Ergo definitio non est argumentum: quò quidà Dialectica alienius, Anón Ethico arguunt conjugata, cùm sic colligit: Si qui fortiter agit, consideratè pericula suscipit, & labores perpetitur: fortitudo quoq; erit cõsiderata periculorum susceptio & laborum perpeffio: Sed, inquis, non valet: Somnus eum invasit: Ergo est somnolentus. Rectè ais, non valere. Sed caussa est Elenchus non conjugatorum, ut conjugatorum. Somnus enim & somniculosus non sunt verè conjugata logica. Conjugata scilicet sunt vel re & verbo simul: ut, sapientia, sapiens, sapere, sapienter. Vel sensu seu significatione tantùm, ut virtus & probus, somnus & dormire. Nec nego è conjugatis Sophistica aliquando argumenta sumi (ut cùm in iis est ambiguitas) ut: Didicit præcepta Logica: Ergo est Logicus: Non valet. Logica enim est disciplina universalis. Sed Logicus in particularibus exemplis scientiarum versatur, & est is, qui Logicam disciplinam in explicandis & retexendis aliorum scriptis adhibuit: qui Logicas philosophorum poëtarum & oratorũ virtutes multa & assidua meditatione, scriptione, dictione observavit, & excoluit: qui se ipsum omnibus laborum & studio

Solutio.

a. Obiectio.

Solutio.

Elenchus
fallorum
conjugato-
rum.

studiorum generibus diu multumque in his exercuit.

PROBLEMA II.

Quod Coniugatorum est *παράνομα* seu Denominatum? Deducitane est Logicè Grammatica à Grammatico: an Grammaticus à Grammatica? Fortitudine à fortis: an fortis à fortitudine?

Conjugata, quasi sub unum jugum devincta, Græcè *σύνζυγα*, sunt *ὄνομα πρῶτον* seu *ἀρχὴν* & *παράνομα*, id est, nomen primogenium, & hinc deducta denominataque. Primum est nomen, unde reliqua deducuntur, & quasi derivantur. Paronyma (denominaciones) sunt nomina ab uno principio variè deducta, seu quæ orta ab uno variè commutantur: ut, à Grammatica grammaticus: à fortitudine fortis: à justitia justus: à libertate liber: à militia miles. Justitia enim ut forma, à qua denominaris justus, prior est justo, & causa est cur sis justus. Cæteroquin Grammaticè justitia, ut justior, est à justus: fortitudo, ut fortior, à fortis: militia à miles: libertas à liber. Logicè igitur concreta, quæ vocant, sunt ab abstractis. Abstractum est, quo forma (accidentalis vel substantialis) per se considerata significatur, ut sanctitas. Ut autem abstractis formæ ipsæ per se, id est, quales

sunt in se distinctè significantur: Sic Concretum est, ut sanctus, quo forma cum subjecto significatur. Dicitur autem abstractum seu τὸ ἐξ ἀφαιρέσεως, seu τὸ ἐν ἀφαιρέσει, seu τὸ κεχωρισμένον, quòd cogitatione sejunctum & abstractum sit à subjecto: ideoq; habet sensum simplicem. Concretum verò seu τὸ ἐν προσδέσει, & τὸ ἐν προσδέσει, seu συνδεδασμένον, seu συμπεπηγός, quòd sit subjectum habens formam: vel forma cum subjecto reipsa conjuncta: ideoque sensum habet compositum. Exempli causa: Lapidum est concretum, quia sensum habet compositum, id est, attributum, non nudum, sed cum subjecto, videlicet domo, significat. Lapis abstractum est, quia per se & solitariè consideratur, non autem lapideus paries. Sic magnitudo est abstractum, quia significat accidens cogitatione distinctum à materia seu subjecto. Magnum verò seu quantum est concretum, quia significat accidens cum substantia. Itaque corpus Mathematicum significatione est abstractum. Idem enim est, quod longitudo, latitudo, & profunditas rei: quæ dimensiones, etsi ratione abstrahuntur à materia, cum ea tamen natura & reipsa sunt conjunctæ. Corpus verò Physicum significatione est concretum, quia significat substantiam habentem dimensiones. Qui subtilius loqui volunt,

Concreta
habent com-
positū signi-
ficandi mo-
dum, abstra-
cta simplici

volunt, dicunt, accidentia in concreto, puta album, significare tantum formam, connotare autem subiectum formæ, hoc est, album significare albedinem existentem in subiecto. Quanquam fatendum est non tantum accidentibus, sed & substantiis aliquando appellationes concreti & abstracti tribuendas. Ecclesia erudita rectè hæc vocabula traduxit ad disputationes de Christo. Concreta enim sunt: Homo Christus, Filius Dei, Deus, quæ personam significant, quæ duabus naturis (velut partibus) constat. Deitas verò & humanitas sunt abstracta, quæ significant naturam alterutram absolute, per se, & secundum se consideratam. Hinc cum dicitur: in persona Christi non esse separanda abstracta, intelligitur non esse separandas unitas naturas. Id enim à phrasi & sermone recepto in Ecclesia alienum est, vocabula tum demum esse vocanda abstracta, cum natura aliqua extra unionem consideratur: concreta verò, cum in unione. Etsi enim dicere licet: Humanitatem esse nomen significans formam intellectu etiam abstractam à supposito: tamen ea in unione, non extra unionem personalem consideratur. Abstractè enim seu absolute & per se aliquando considerantes naturam, non facimus distractionem, sed distinctionem: cum sciamus, ἀπρεκῶς & ἀχωρί-

τως semper re ipsa οἰκονομία & voluntate divi-
 na unitas, & proprietatibus inter se distinctas
 esse ac manere. Cùm igitur dicitur, licere et-
 jam in abstracto dicere, humanitatem Chri-
 sti esse mediatricem, id non habet hunc sen-
 sum, quòd humanitas extra unionem, & re
 ipsa separata à λόγῳ, sit mediatrix. Nunquam
 enim ὄντως subsistit non unita; sed quòd hu-
 mana natura Christi secundum se etiam,
 quatenus non sola, & non nisi λόγῳ unita, sit
 mediatrix. Cùm dicitur, non licere dicere in
 abstracto: Christi carnem esse immensam,
 non habet hanc sententiam, quòd non liceat
 dicere, carnem Christi extra unionem per-
 sonalem esse immensam: quia caro non nisi
 in persona λόγῳ subsistit: sed quòd dicere fas
 non sit, Christi carnem καὶ ἐν αὐτῷ in seipsa
 seu in sua essentia, ut quæ finita & circum-
 scripta est suis terminis, esse immensam.
 Suntq; paria, seu æquipollent: Homo Chri-
 stus in abstracto, & humanitas Christi: utro-
 bique natura significatur: Item humanitas
 Christi in concreto, & homo Christus: utro-
 bique persona significatur ab una natura de-
 nominata. Ex his intelligitur primò, non ver-
 bis sed plagis corrigendum, si quis præfractò
 tueri velit, Deitatem Christi, Humanam na-
 turam in Christo, esse vocabula concreta,
 non abstracta. Secundò: ociosam intoleran-
 damq;

damque esse *πρωτολογίαν*, ac nugationem, dicere, Corpus Christi in abstracto exaltatum est. Etsi autem homo & humanitas in Petro non differant realiter; Homo enim Petrus nihil aliud est quam sua humanitas: tamen in doctrina de persona Christi non pro uno & eodem accipiuntur, sed differunt. Aliud enim est: Istē homo seu filius hominis creavit cælum & terram: quod verum. Et aliud est: Humanitas Christi creavit cælum & terram, quod falsum. Homo enim significat personam totam, & ex naturis constitutum Christum, seu personā, quæ habet naturam humanam, & Deus & homo est. Humanitas verò significat tantum naturam & formam aliquam, quæ personæ illi propria est. Sic etsi non differant Deus & Deitas realiter extra incarnationis negotium (Deus est æternus, & Deitas est æterna, *πρωτὸ λυτ*): tamē in hoc ipso mysterio differunt. Deum enim, id est, filium Dei mortuum esse dicimus: Deitatem verò ipsam mortuam esse non dicimus. Deus enim significat hīc personam habentem, non solum formam Deitatis, sed etiam humanitatis. Deitas verò nihil præter divinam Christi naturam significat. Nec quicquam obstat, quò minus sint Deus & Homo concreta vocabula, quòd sunt substantiva. Etsi enim sunt

Sic sapientie & sapiens vere differunt, quia quod ex parte est, omnino esse dici non potest: & res, sapientia, à personā sapientie differt. Contra Iohann. Vitaris l. m.

Gramma:

Logicus rem
potius & sen-
tentia quam
nomen spe-
ciat.

Grammatica substantiva; sunt tamen adjectiva Logica: seu, etsi sunt nomine substantiva, tamen re & significatione sunt adjectiva. Ita orator adjectivum est, oratoria substantivum. Cæterum potius mihi videtur dicendum, nomen abstractivum, quàm abstractum; nomen concretivum, quàm concretum. Formæ enim & nature ipsæ sunt abstractum. Ac rectè dicimus, non locutiones abstractas aut concretas, sed locutiones in abstracto, seu prædicationes abstractivas; & in concreto, seu concretivas.

PROBLEMA III.

An distribui aliquid possit in Entia & Non entia?

Distinguitur.

Regula ἀξιωματικὴ est de distributione. Quicquid distribuitur, si id extet uspiam, debet distribui in ea quæ sunt, non in res fictas, ut: Ecclesia non est dividenda in Militantem, Dormientem, & Triumphantem. Dormiens enim Ecclesia nihil est, nisi εἶδωλον cerebri humani, seu figmentum. Quidam dicitur concionatus esse: Monachorum alios esse optimos, ut Franciscum, & Dominicum in cælo: Alios pessimos, ut hîc viventes: Alios neutros, hoc est, nec bonos nec malos, ut pictos. Vitiosa est divisio, quia entia & non

& non entia non sunt miscenda in divisionibus. Picti monachi non sunt monachi, ut picti vel mortui homines non sunt homines. Si quis doceat, manducationem corporis Christi esse triplicem: Capernaiticam seu carnalem, Sacramentalem, & Spiritualem, divisionis ἐλεγχον committit. Nam carnalis illa māducatio profus nulla est. Verum etsi fieri non potest, ut quod non est (quatenus non esse statuitur) in opinationem cadat, ἢ ἄρα οἶόν τε τὸ μὴ ὄν δοξάζειν, ut ait Plato, & ejus quod non est, nulla scientia, ut ait Aristoteles: tamen aliquando doctissimi quique viri distribuunt aliquid partim in Entia, partim in non Entia, secundum hominum ὑπόληψιν, quatenus hæc pro entibus concipere & habere, velitarique & disputare possunt. In præceptis igitur artis alicujus regula semper vera est, ideoque accuratè servanda: Ens non debet dividi in non entia. In controversiis verò & disputationibus ac refutationibus ὑποδέτως hoc fieri potest & solet, ut Manducatio omnis (ut ficta etiam comprehendatur) de qua cogitari, quæri & disputari potest, est vel Capern. vel Sacram. vel spirit. Hæc distributio non continet plus quàm distributum, consideratum ex hypothesis. In disp. de Christo I. Brentius distinguit omnipræsentiam in localem, repletivam, & personalem: sed ita, ut profi-

Picturæ non sunt res, sed imitationes rerum.

Plato in Theæt.
Libr. I. cap. 2.
post, Anal.

profiteatur nullam rem nec spiritualement nec corporalem ubique esse locali πανταχού, & hanc à se removeat. In disputationibus peripateticis universale dupliciter sumitur. Aliud enim est in multis, aliud extra multa. Universale in multis est natura communis, quæ in individuis inest, ab eis æquè participata, ut natura humana singulis hominibus insita. Universale extra multa (scilicet singularia) est aliud post multa, aliud ante multa. Universale post multa est illud, quod ex individuis in animo colligimus. Universale ante multa est idea, quam Aristoteles tribuit Platoni, sejuncta ab individuis, ut: equus idealis, qui æternus est, & præcessit generationem omnium equorum materialium, ut horum causa. Sed in arte, cum quid verè sit universale explicatur, universale ante multa seu singularia redundaverit. *Επιστημὴν* hinc delibanda videtur questio: An τὸ μὴ ὄν cadat in cognitionem. Distingue inter cognitionem *καταφατικῶς* seu *συνδοχαστικῶς*: & *ἀποφατικῶς* seu *ἀναγνωστικῶς*, seu *ἀναστροφαστικῶς*. Illa astringit quod putat quis esse, cum non sit: Et ejus non datur scientia: sed opinio, deceptio, ignorantia. Hæc verò negat & destruit quod non est. Ejus datur scientia, dum *ἀναίρεσις* seu sublatione & remotione hujus ponitur τὸ ὄν. Sic in Physicis scientia datur vacui & infiniti.

An non ens
cognosci
possit.

Hoc est, inter
notitiam af-
firmativam
seu confir-
mantem, &
negativam
seu destruc-
tivam.

Partesne toto seu integro priores, an contra totum prius partibus seu membris?

Distinguitur.

Hanc quæstionem explicare non est inutile. Nam partes videntur antiquiores toto, hoc argumento: Constituētia sunt

priora constitutis. Partes constituunt totum.

Partes igitur sunt priores toto. Sic domus est prior civitate, ut principium principiato.

Itaq; etiam Aristoteles, antequam de civitate differat, de domo & partibus ejus differit. At

idem pronunciat 2. cap. Totum prius esse parte, his verbis: Civitas prius est ordine natura,

quàm familia, quàm unusquisque nostrum: quoniam unaquaq; res parte sui antiquior est:

cùm præsertim toto sublato, nec pes sit futurus, nec manus: nisi fortè societate nominis;

ut si quis eam lapideam appelleret. Si enim interierit, in eo genere manebit. Atqui officio,

munere, viq; efficiendi, definita sunt omnia. Ita cùm in suo genere non maneat, jam

non sunt eadem dicenda, sed homonyma. Hoc igitur perspicuum est, civitatem & à natura

profectam esse, & unoquoque nostrum antiquiorem: quandoquidem si unusquisq;

nostrum, qui se ipso non sit contentus, à civili societate se removerit, eodem loco habendus est,

quo reliquæ partes corporis, si cum toto

Domus prior civitate.

1. Polit. cap. 2.
Oeconomica prior est Politica.

Civitas prior domo.

toto conferantur. Totum hîc, inquit Aristoteles, prius est sua parte. Ratio est: Tolle totum, non erit neq; pes neq; manus; nisi forte eo modo, quo ferream vel lapideam manum dicimus, id est, ὁμωνύμως seu tantum secundum nomen. Nam partium ratio earum officio & facultate definita est. Officium autem & facultatem partes capiunt ex toto. His accedit, quod Aristoteles ait Metaph. 6. cap. 10. partes toto priores sunt. At paulò post, partes corporis toto (animali) quodammodo posteriores sunt, quodammodo non sunt; præsertim quæ sejungi non possunt. Quid ergo hîc dicemus? Logicus totum & partes sic considerat: 1. Totum qua ratione ad partes suas refertur, simul est cum suis partibus. 2. Partes quia totum constituunt, seu quia totum à partibus essentiam accipit & perficitur, hæ illo priores sunt; ut Elementa iis quæ orta sunt ex his; ut causa effecto suo. 3. Omnes partes definitiones rei si comparentur cum re definita, priores sunt λόγῳ: & quidem ultima differentia ita definito prior est λόγῳ; id est, secundum rationem, ut tamen cum eodem simul sit ἐσσίᾳ, id est, secundum essentiam. 4. Quod ad loc. è Polit. Aristotelis attinet, distinguitur. Domus est prior civitate, quoad γένεσιν, id est, si spectes civitatem ut nascitur & coalescit. Civitas verò est prior domo, essenti-

tiæ perfectione & usu: ut corpus humanum prius est quàm manus, quatenus manus essentiam & naturam spectas in usu, quem à toto accipit; & extra totum, seu separata divulsâq; à toto, amittit. *Et omnino partes non incipiunt esse in energia, nisi toto absoluto:* Sic Materia in natura prior est τῆ ἁμέσει; id est, ut id ex quo aliquid fit. Materia etiam posterior est, τῆ τελείωσει, seu prima perfectione; quia à forma unumquodq; primùm perficitur. Materia prior est forma naturâ: quia ut subjectum in nascendi ordine antecedit formam. Et forma naturâ prior est quàm materia; quia hæc ab illa suæ naturæ & essentiæ perfectionem capit. Elementa sunt priora compositis ortu & tempore, seu oriendi ordine: quia composita existunt ex elementis, ut partibus. Itaque in ordine doctrinæ ab elementis ad composita procedendum. At sunt Elementa interim posteriora concretis corporibus, ratione & perfectione essentiæ ἐνερσητικῆ. Sed ne longior sim, distinctionem & disputationem hanc omnem concludo syllogismo. Omne quod alteri dat τὸ εἶναι, eo ipso prius esse potest. Partes aliqua ratione dant τὸ εἶναι toti: & totum aliqua ratione dat essentiam parti. Ergo aliquo respectu partes priorres sunt toto: & aliquo respectu totum prius est partē sua.

P R O B L E M A V.

Ἄν ὅλον seu Totum Topicum sit ex pers partium?

Negatur.

TO T U M Logicum respectu partium, quas continet, dicitur. Itaq; sine partibus nec esse nec intelligi potest. Sed totum Metaphysicum sine partibus est, cum non dicatur ratione partium. Tale totum dicitur T O T U M P E R F E C T I O N I S ; ut Deus : quippe qui non sit compositus, neque ex subiecto & accidente, neq; ex materia & forma, neq; ex actu & potētiā. Est & totum quoddam, quod non habet partes propriè dictas : sed, ut loquuntur, potestativas, ut anima. Hujus enim *διωάμεις* dicuntur partes virtuales. Notent hīc studiosi, Scholasticos triplices facere partes: Integrales & essentielles, membra integrorum; ut sunt corpus & anima animalis: Subiectas (quæ dicuntur species) ut sunt homo & bestia animalis. Potentiales; ut sunt facultates animi. Partibus integralibus respondet Totum Integrale & essenziale, seu *ὄλον* (quò totum numeri refero) quod plura continet integrum constituentia. Subiectis *ἄλλο* seu totum universale, quod plures continet partes subiectas, non re, sed ratione divisas: ut est genus. Denique partibus potestatis *ἀντίστροφον* est Totum potestatis, quod

habet

habet diversas potestates à sua essentia differentes: ut, animal habet visum, auditum, &c. De Deo objici potest, non esse eum Totum perfectionis, sed integrum. Dicitur enim, & quidem orthodoxè: Non tota Trinitas est incarnata. Cumque tres sint ὑποστάσεις Deitatis, Deus est totum essentiale, quod personis tribus circumscriptum est. Responsio: Quatenus unitas essentiæ divinæ spectatur, rectè dicitur Deus totum perfectionis. Quatenus verò spectantur tres personæ in essentia divina; non est ἄφορον dicere Deum totum essentiale: itaque cum Pater, Filius, & Spiritus sanctus prædicantur de Deo, prædicari de eo, ut partes essentiæ unius Dei de tota essentia. Si enim Trinitas sine offensione piarum aurium, inquit Jacobus Schegkius, dicitur tota, quæ unitas est essentiæ divinæ; quid impedit, quò minus personæ partes appellentur?

Personæ hic dicuntur partes γενικῶς & ἀνδροπικῶς. itaque rectè dicitur, persona Patris esse quasi pars totius essentiæ.

PROBLEMA VI.

An integrum oriatur ex effectis, membra è causis?

Distinguitur.

INTEGRUM effectum esse materiæ & formæ certum est; ideoque materiam & formam esse causas, è quibus integri essentia constituitur. Oritur igitur integrum à causis:

Quomodo igitur G. Tempellus ait cap. 15.
De distributione è caussis, Integrum oriri ex
effectis. Resp. 1. Integrum oritur ex effectis,
hoc est, ex argumento seu loco effectorum,
ita, ut sit effectum materiaturum & formatum.
Membra oriuntur è caussis, id est, è loco seu
argumento caussarum, ita ut sint integri cau-
sa, materialis scilicet, & formalis. Integrum
igitur oriri seu existere ex membris suis, tan-
quam è caussis; ut Grammaticam ex Etymo-
logia & Syntaxi: Et integrum oriri ex effe-
ctis, non repugnant.

PROBLEMA VII.

An Ideæ, id est, genera sint?

Distinguitur.

VERÆ & explicatæ distinctiones tollunt
contradictionem: Id quod cum alia mul-
ta, tum hæc ostendunt. Aristor. in Meta-
phys. Genera & species sunt præter res singu-
las. At idem alibi: Præter rem quandam sin-
gulam aliud quiddam cogitare aut sumere
non possumus. Hæc non est ἀντίφασις ἀδιόγη-
τος, si distinguas. 1. Ideæ sunt aliquid: sed non
sunt hoc aliquid. 2. Ideæ sunt præter res sin-
gulas in *notione*. Ideæ non sunt præter res sin-
gulas in *rerum existentia*. Ideæ enim, ut homo,
primò & propriè ac re ipsa sunt in commu-
nitione rerum singularium, ut Catone, Plato-

ne:

Lib. 10. cap. 2.

Obiect.

Lib. 1. de coc-
lo cap. 9.

Solutio.

Ideæ sunt se-
paratæ à sin-
gulis rebus

Ratione, sed
secundum
essentiam in
his cōsistunt.

Seu univer-
salia nō sūt.

ne: (etsi etiam suo modo singularia in Ideis sunt, de quo alibi monuimus) non tamen accidentium more, sed ut constituentes & continentibus singularium rerum essentiam. In intellectu verò sunt quodam modo per aliud, hoc ipso scilicet, quòd earum essentia in cõmunionem singularium verè existens intellectui repræsentatur per notionem, tanquam imaginem. Extra verò & singularia & intellectum Ideæ non sunt; nihil quàm nugæ sunt, & quasi inanes cautiones, ut cum Philosopho loquar. Itaq; has ut *τερετίσματα*, imò τὰ μὴ ὄντα, valere jubeamus.

in solis animis & nudis notionibus posita; sed verè in rerum natura existunt, ita ut à rebus singularibus non sint sejuncta, sed in his ipsis sint & nitantur. Aristot. post. anal. c. 15. universale est in anima, li. 1. de demonstat. cap. 13.

PROBLEMA VIII.

Utrum Genus sit totum, an pars?

Distinguitur.

GENUS quoddam totum esse; individuum verò partem, habet Porphyrius cap. de specie. Et Aristoteles 1. Phys. c. 1. Universale totum quoddam est, cum multa velut partes complectatur. Eidem contra 4. phys. cap. 3. Genus est speciei pars. Et Jul. Scaliger, Genera esse partes specierum, asserit. Hæc inquis, concordant, ut rectum cum obliquo consentit. Verum, inquam ego, hoc modo ista inter se conciliantur. Genus est totum universale, respectu omnium specierum, quas suo ambitu comprehendit, & quæ ipsum

Object.

Pag. 962.

Solut. & concil.

Universale
est totum
quatenus ex
particulari-
bus colligi-
tur.

Est pars, qua-
tenus consti-
tuit speciem.

Object. cum
solut.

participant: ut, animal totum quoddam, hoc est, *καθόλου* est respectu hominis & bestia simul. Hæ species partes sunt; vel, ut Aristoteles loquitur 1. phys. velut partes animalis à quo continentur, & in quo conveniunt, ut in natura communi.

Genus etiam est pars substantiæ specierum singularium: ut, animal est pars substantiæ hominis: animal est pars substantiæ bestia. Sic Melanch. in Sorite: sicut, inquit, proximum genus est pars essentiæ speciei: Ita superiora genera sunt in essentia infimæ speciei. Hinc species quatenus est totum definibile, genus ejus pars est. Homo totum est definibile. Animal igitur pars est hominis, *λόγου ὁσίας* seu definitionem ejus unà cum differentia componens. Dices: Animal non est pars definiti, sed definitionis. Resp. Si est pars definitionis, est etiam pars definiti secundum rationem & implicite. Sunt enim definitio & definitum re unum: etsi non sunt unum modo cognitionis: quam alibi evolutam vel involutam diximus.

PROBLEMA IX.

Utrum genus insit speciei, an contrà? Et: Sitné pars
in toto, an totum in parte?

Distinguitur.

GENUS

GENUS non inest speciei, sed species inest suo generi. Nam genus sua specie est latius; species suo genere angustior. Latius autem in se angustius; non contra angustius latius comprehendere potest. At totum inest in partibus, Porphyr. cap. 2. de specie. Genus est totum: Species sunt partes. Ergo genus inest speciebus. Et Aristot. 4. Phys. cap. 3. ait utrunq;: Et Speciem esse in genere, & Genus esse in specie. Respondeo per distinctionem, cum modi $\tau\epsilon\lambda\epsilon\upsilon\sigma\tau\alpha\iota$ varii sint. Genus est in specie, ut animal in homine: primò, secundum actualem existentiam (ut loquuntur) id est, quod attinet ad veritatem physicam $\tau\epsilon\lambda\epsilon\upsilon\sigma\tau\alpha\iota$, seu subsistentiæ. Animal enim verè subsistit in homine. Secundò, ratione veræ attributionis. Dici de aliquo requirit inesse. Animal dicitur de homine, genus de specie. Genus igitur, ut animal, inest speciei, ut homini. Tertid: Genus est in specie, quia tota substantia generis est in singulis speciebus: ut totum animal in homine, totum in Platone, totum in leone, totum in asino, totum, ut semel dicam, in qualibet specie. At species etiam est in genere suo, ut homo in animali: ratione originis hinc tractæ, & communis omnium specierum naturæ, quæ à genere dependet: (hoc est: Species inest in genere, ut effectum in causa). Hinc species

Complexio.
 Assumptio.
 Propos.

Contrarius
 syllog.

solutio.

At in homine
 non inest
 in Rago
 et no. p. 1.

Obi

Obi

recipit definitionem generis. Genus verò non recipit definitionem speciei. Item, species inest generi suo, ut pars subjecta; hoc est, particulare toti universi. Sic species continentur à genere, ut pars à toto. Inest & genus speciei seu definitioni speciei, ut pars seu membrum integro. Seu genus inest in specie, ut pars definitionis in ipsa definitione.

Ob. Potest & sic dici: Generis, ut animalis, definitio naturaq; ex toto est in specie, ut homine. Speciei, ut hominis, natura definitioque ex parte est in genere, ut animali. Neq; verò dissentiant hæc; Genus est in specie: & species est in genere. Nam animal quicquid habet communicat homini. Ergo est in animali, ut impertiente aliquid naturæ hominis constituti. Et: Homo recipit totam naturam & definitionem animalis. Ergo est in homine, ut recipiente, tota natura definitioq; animalis.

Object.

At dixisti, Effectum esse in causa. Annon potius causa, præsertim interna, est in effecto, ut materia in materiato? Et quomodo totum est in partibus Porphyrio? cum potius partes sint in toto; ut digiti in manu, oculi in capite. Respon. Causa interna est in effecto, ut pars in toto, tanquam simplicius & minus in composito. Effectum est in causa, hoc est, subsistit & perdurat, quandiu permanet in eo causa *voias*. Sic homo est in animali, id est, sub-

Respon.

subsistit, quoad permanet in eo (homine dico) natura animalis. Quid? quòd res efficiendæ sunt in primo movente à quo disponuntur: ut domus in architecto: res Hassiæ in principibus Hassiæ. Adhæc, materia in forma est: & forma in materia. Materia sustentat formam, quatenus forma non potest esse sine subjecto, & seorsum subsistere. Sic forma est in materia, & ab hac continetur: quatenus materia est subjectum, sedes, & quasi locus formæ. Forma etiam sustentat materiam: quatenus est complementum materiæ, & materia à forma denudata esse nequit, ut actu ens sit. Sic ergo materia est in forma, ratione determinationis & perfectionis: & forma continet materiam, id est, forma materiæ, quæ per se infinita est, id est, nulla certa forma definita, determinat seu intrinsecus terminat, & facit ut hoc aliquid sit. Sed, ne extra oleas vagari videamur, ad totum & partes venio. Partes sunt in toto, ut minus in majore, angustius in ampliore. Totum est in partibus suis (non singulis per se, sed omnibus simul) ut sustentatum & fultum in sustentantibus & fulcientibus. Partibus enim salvis, salvum manet totum. Seu Totum est in partibus, quia extra & præter suas partes non est; quippe ex quibus constet. Hic nobis aliquis sic occurrat. Totum est in seipso, ut cir-

Arist. 4.
Phys. cap. 3.

Object.
In Timæo.

Solutio.

Quomodo
totus homo
in seipso sit.

Lib. 3 Topic.
cap. 5.

culus, orbis. Hinc Plato: τῶν κινήσεων ἢ ἐν αὐτῷ
ἢ ἐκ αὐτῷ ἀρίστη κίνησις. Omnium, inquit, motu-
um optimus ille est, qui in semet ex seipso fit.
Ergo totum non est in partibus. Resp. ad an-
tecedens ex 3. cap. 4. Phys. Nihil est in seipso
per se & primò: sed aliquid in seipso est κατ'
ἄλλο, id est, per aliud, nempe per partem con-
iunctam & toti & aliis partibus; quia alia pars
est in alia. Homo per se proprie & primò
non est in seipso, sed est in seipso per partem,
nimirum per animū: quia animus est in cor-
pore. Sic amphora vini per se & primò in se-
ipso non est, sed per partem: quia vinum est
in amphora: non quòd vinum sit pars am-
phoræ: (amphoræ enim adjunctum est) sed
quòd pars sit huius totius, quod dicitur Am-
phora vini. Atque hæc de proposito proble-
mate paulò prolixius: quòd Dialectici vim
maximè cerni in proponendo & resistendo
cum Philosopho putemus.

PROBLEMA X.

An Quid sit querenti respondendum: Definitio
potius quam Genus?

Prius affirmatur.

NON videtur esse παρὰ τὸ ἔργον, breviter de
hac questione agere. Porphyrius ex 1.
Topic. cap. 4. Arist. Genus, dicit, est id,
quod

quod de pluribus specie differentibus, in quaestione, Quid est, prædicatur. Laurentius Valla, vir acutiss. hanc definitionem improbat; quòd interroganti Quid sit res, tota respondenda sit definitio, non solum genus; modò satisfacere velimus interroganti, neq; dimidiatam dare responsionē. Judicium ejus Ramus approbat. Rodolphus Agricola ante hunc sic sensit: Quòd dicimus quaestionem generis esse interrogationi, Quid est, includam; id verum est: quia bene responderetur: Quid est homo? Est animal: Veruntamen non sic, ut totam interrogationem absolvar. Nisi enim addideris differentiam, vel proprium, nō vidēris satisfacisse quaestioni. Quòd fit, ut cūm de solo genere quarimus, solitum sit interrogari, non quid est, sed cujus generis rerum est, ut: cujus generis rerum est lumen, Substantiāne an accidens? Et, Sentire non, quid sit, interrogamus, cūm scire volumus, agerēne sit an pati: sed ad quod genus pertineat, actionisne an passionis. Posteriora hæc Aud. Talæo quoque probantur. Nam cūm quaeritur, inquit, Quid est Dialectica? Si respondeas: est ars; ridiculus habere. Non enim quaeritur, è quo genere rerum sit Dialectica: sed quæ sit ejus natura & essentia. Hæ censuræ movent aliquos, ut malint Generis hanc definitionem; Genus est uni-

versa

versale quiddam, sub quo species collocantur. Ego, ut definitionem hanc probō; ita humaniter quoq; alteram definitionem accipi, & ita distingui posse censeo. Genus respondetur ad quæstionem *Quid est*, particulatim, imperfectè, & non conversim. Definitio respondetur ad quæstionem *Quid est*, plenè, perfectè, & conversim. Genus communiter; Definitio propriè.

PROBLEMA XI.

An Etymologia logica, & definitio nominis differant?

Affirmo.

DEFINITIO nominis est nominis interpretatio; seu significationis potestatisve vocis explicatio: ut, *fati est loqui*: Spiritus est substantia incorporea: Amen est τετελεσμένον ἔστω: id est, ratum, firmum, certum sit. Aliquando definitio κατ' ἀντίληξιν dicitur, quando alio notiori verbo utimur quippiam declarandi gratia, ut: *contritio est pavor & dolor cordis*. Quod si definitio nominis (λόγος ὀνομασίτης) nomen ex origine interpretatur, Etymologia propriè dicitur, ut: *Jus à justitia descendit*. Quæ notatio Oldendorpio est ex efficiente, ut alibi dixi; quod justitia effecerit jus civile Romanū: V Vesenbecio è fine, quod Justitia, id est, æqualitatis conservatio, sit finis vel effectus doctrinæ juris: aliis ex
obje-

objecto seu subjecto occupante, quod jus
 circa justitiam versetur: quæ notatio nõ mul-
 tum dissidet à secunda; cum quædam subjecta
 (in quibus finis versatur) pro fine sæpe acci-
 piantur. Cæterum nominis definitionem
 quidam subjiciunt loco definitionis, hoc ar-
 gumento: Species non est divellenda à gene-
 re suo, & opposita specie. Definitio nomina-
 lis est species definitionis, opposita defini-
 tioni rei. Ergo Definitionis nominis doctri-
 na Loco Definitionis includenda est. Alii in-
 cludunt loco Notationis, hoc argumento:
 Interpretatio nominis est notatio (per con-
 versam def. Not.) Definitio nominalis est in-
 terpretatio nominis. Ergo Definitio nomi-
 nis est notatio. E prioribus quidam Defini-
 tionem generaliter definiunt esse oratio-
 nem, quæ naturam aliquam declarat. Defi-
 nitionem nominis dicunt esse orationem,
 quæ naturam nominis explicet, ut: Evangeli-
 um est lætus nuncius. Definitionem rei, quæ
 quid res sit declaret, ut: Evangelium est præ-
 dicatio pœnitentiæ, seu μετανοίας & remissio-
 nis peccatorum, &c. Posteriores verò defi-
 nitionem nominis, & definitionem rei spe-
 cies unius generis esse negant: quod nominis
 definitio verbo tantum seu æquivocè, non
 univocè & propriè definitio sit: hoc est; De-
 finitio quæ *ὡς ματῶν*, seu realis dicitur, so-
 la verè

la verè sit definitio. Sed in his exilibus disputationibus diu hærere nihil attinet.

PROBLEMA XII.

Utrum Sol, Luna, Mundus, sint potius Species
quàm individua Logica?

Posterior magis affirmatur.

SUNT quædam, *μὴν καὶ φῶς* Græcis dicta; ut Sol, Terra, perpetua per durationem unius & ejusdem individui. Sed hîc non congruunt sententiæ Philosophorum. Plurimi species proximas individuis esse contendunt. Iis cùm obicitur, Speciem de pluribus numero differentibus prædicari, teste Arist. in Topic. Lunam autè Solem, &c. non prædicari de pluribus numero differentibus: cùm plures numero Soles non sint. Itaq; Solem, &c. non esse speciem. Respondet: Cùm dicitur speciem de pluribus numero differentibus prædicari, intelligendum de *δυναμει* seu aptitudine: licet *ἐνεργεία* seu actu non semper ita prædicetur. Ajunt, etsi esset in orbe tantum unus homo, tamen homo esset ejus species: Ita etsi Sol unicus est in orbe, tamen Sol ejus species est. Ad summam, volunt interdum speciem esse quandam unam tantum ad numerum rem singularè. Alii contra disputant, tales res simpliciter esse Individua, quòd unicus Sol, unica Venus tantum sit in

REFUM

Sic dicitur:
Genus habet
sub se plures
species actu
vel potestati.

Zabarella in
lib 1. post. A
nalyt. & Ra
mi sententia.

rerum natura. Alii distinguunt: Esse quidem individua, secundum rem & materialiter, & quia sensui se offerunt: esse verò species singularibus proximas abstractione, quòd possit ab iis idea separari, cum certa materia content, proindeque non sint simplicia.

Sol non est
re ipsa num-
erosus & mul-
tiplex: Itaq;
non est indi-
viduum abstr-
scu re.

Ego puto potius *φύσιν* seu statum naturalem talium rerum spectandam, quàm nostræ mentis *ἀφαιρέσιν*: cum Logica non gignat res, sed res pro sua quaque affectione & natura explicet. Locus Aristot. libr. 1. de

Objec.

cælo, cap. 9. nihil obstat nobis. Aliud, inquit Philosophus, est hoc cælum: aliud cælum quod omnino cælum dicitur. Audis, inquis, ut distinguat Philosophus? Cælum igitur est species. Hoc cælum est individu-

Respon.

um. At verò audio, inquam ego: Tu totum locum mecum expendi. Eo Aristoteli universale, cælum, significat formam sine materia: Particulare, hoc cælum, formam in materia. Cælum igitur acceptum pro omnibus orbibus aggregatis manet individuum. Hanc

expositionem ostendunt antecedentia & consequentia. Antecedunt hæc: Quoniã cælum sub sensum cadit, erit in rebus singulis. Sequuntur hæc: Cælum quasi species ac forma est. Hoc cælum, ut aliquid materiae admittit.

Cælum in
numero est
rerum singu-
latum.

Præterea si per naturam plures mundi & Soles extare possent, vel etiam extarent: tamen

gens.

generis rationem potius haberent ad hunc mundum, & hunc Solem, quàm speciei. Etenim, maximè propriè loquendo, Logica species dicitur species superiorum generum: non individuorum inferiorum. Sic hic homo, hæc stella, ut Luna, species infimæ seu individua sunt: Stella verò & homo genera. Quòd si speciem pro forma accipias, homo hujus hominis species dici potest: Sed tamen hic homo est formatum, seu, si ita loqui licet, specificatum. Inquis: Dico, Hic homo est homo. Quidni igitur dicam, hic Sol est Sol? Respons. Dissimilitudo est. Homo enim natura numerosus & multiplicabilis est, & re ipsa multiplicatur generatione & propagatione. Sed Sol est individuus, non multiplex: *φύσις μόνος* est & manet. Itaq; dicimus Plato est homo: non verò, hic Sol est Sol. Sic cum Deus unus sit, non plures Dij, non dicimus: hic Deus est Deus. Quòd si homo conditus esset ea lege, ut non propagaretur, sed singularis maneret: etiam individuum esset. Inquis: Singularium non est scientia, ait Aristoteles. Solis est scientia: Sol igitur non est singulare. Resp. ad prop. Non est scientia singularium corruptibilium: at sempiternorum, cùjuscmodi Sol est, esse potest. His breviter in medium allatis disputatiunculam istam hoc syllogismo concludo: Individui ratio duo exigit. Primum;

quòd

Object.

Respons.

Object.

Respons.

quod est multis incommunicabile. Opponitur enim ut singulare universali, quod est natum esse in multis. Secundum est, quod ab aliis distinctum est numero. Sol & multis incommunicabilis est, & ab aliis distinctus numeraliter, ut loquuntur. Ergo Sol est individuum.

PROBLEMA XIII.

An sit in Philosophorum disputationibus genus ali-
quod præter συνώνυμον.

Affirmatur.

DOCETUR in Scholis, genus significare communem naturam ex æquo, seu eadem prorsus ratione à speciebus participatam: & ne quidem si prædicetur quipiam in Quid pro genere habendum, si species communi naturæ tanquam genere significata, nõ æqualiter participarint, ait Schegkiius contra Simonium. Rectè id quidem de perfecto genere. Sed est & genus aliquod, quod non est *ἕν*, seu commune quoddam univocum, id est, à pluribus speciebus ex æquo participatum: sed de numero eorum est, quæ dicuntur *ἄφ' ἑνὸς* vel *ἑνὸς ἕν*, ab uno, vel ad unum: suntq; interjecta ut medium quid inter synonyma, ubi nominis & naturæ: & homonyma, ubi nominis tantum, non naturæ, est communicatio. Illud à summis Philo-

Quædam neq; sunt synonyma, neque homonyma: sed *μεταξὺ τούτων*, id est, mediæ quædam habentia naturam, ut genera analogæ.

sophis vocatur Genus Analogicum seu Analogum, quòd analogia quadam cum accurato exquisitoq; genere cõparari possit, quod huic magis, illi minùs: huic principaliter, illi minùs principaliter: huic priùs, illi posteriùs convenit. Utrunq; hoc habet cõmune, quòd de subjectis sibi singulis dicitur in Quid est, non reciprocè. Facio itaque duplex Genus: perfectum unum, seu exquisitum: Imperfectum alterum. De illo Logicum est axioma, idq; veriss. Generis Essentia non huic vel illi speciei magis aut minùs, sed æqualiter attribuitur, ut: Bestia non est magis animal quàm homo. De hoc verò minùs, cùm certos modos & gradus admittat. Ne autem quis suspicetur, hoc secundarium genus à me confictum, id ita communiam, ut facilè habiturus sim mihi ὁμοφρεσίμονας omnes, qui hæc non averso à me animo legerint.

Qui sub genere sunt, ὁμοφρεσίμονας
 τίχη δ
 ἴσους.

Lib. 3. cap. 2. Primum facilè evincere mihi videor hoc genus ex ipso Aristotele. Hic in Eth. sic disputat (resolvente acutis. Philosopho Zuingero) ἀνασχεδαστικῶς, id est, confutando aliorum sententiam, qui scilicet ita arguebant: Quæ magis & minùs suscipiunt, specie sunt eadem. Amicitia magis & minùs suscipit: Ergo amicitia species differentes non habet. Hic propositio falsa est ὑπόθεσις, inquit Arist. quoniam multa & amplificacionem & diminutionem

nem recipiunt, quæ tamen specie & forma
 differunt: de quibus in superioribus diximus,
 cum scilicet varias virtutis species recensui-
 mus. Habet enim virtus quælibet sub se spe-
 cies differentes: quarum tamen alteri magis,
 alteri minus generis communicatio videtur
 (ait Zuing.) convenire. Falsa igitur conclu-
 sio. 2. Summum genus est id, quo nullum est
 prius & antiquius, teste Aristotele. Substan-
 tia autem summum genus est: at non Syno-
 nymum. Hoc enim non magis uni quam al-
 teri speciei quadrat. Illa autem magis con-
 venit primæ (huic homini) quam secundæ
 (homini): seu principaliter & primò de sin-
 gulari: minus principaliter, & secundariò
 de univèrsali prædicatur, teste Aristotele.
 Ergo quoddam summum genus non est ve-
 rè synonymum. 3. Entis si sunt species, Ens
 erit genus. Species enim & genus sunt *ἀν-
 τίστοφα*, id est, mutuò sibi respondent, &
 genus cum differentia constituit speciem.
 Sed Entis sunt species: Ergo ens genus est.
 De assumptionis probatione non laboro: ea
 est Aristotelis. In Metaph. enim ait: Entis
 ut ens est, quotquot sunt species, & specie-
 rum species contemplari, est unius scientiæ.
 4. Quorum aliqua communis natura est,
 ea latius accepto vocabulo genera nomi-
 nantur, ait Alexander. Substantiarum &

Substantia
non est sim-
pliciter

συνώνυμ.

Species sub-

jectis: Arist.

Substantia est

genus: Arist.

Ergo quod-

dam genus

non est verè

synonymū.

Aver. s. Me-

taphys.

Hæ species
respectu ge-
neris univo-
ci potius
sunt gradus.

accidentium communis quædam natura est
Ens. Ergo Ens Genus est. 5. Distinctio nostra
à multis philosophis usu celebrata & fre-
quentata est.

Cap. 1. & 6.
li. de specie-
bus demōstr.

Zabarell. Duæ sunt summæ species de-
monstrationis : Altera potissima, Propter
quid, quæ omnes habet conditiones demon-
strationis ab Aristotele expositas: Altera ve-
rò Quòd, secundaria, cui aliqua cōditionum
deest. Demonstratio autem genus est, non
quidem univocum, sed, quod nostri vocant,
analogum.

Vult non cō-
prehendi ge-
nere physico,
sed Logico.

Perier. in Phys. Natura dicitur analogicè
in cælo, & rebus sublunaribus. Non enim
possunt res corruptibiles & incorruptibiles
uno genere physico comprehendi. Idem ex
Averroë: Nomen principii dicitur analogicè
de activo & passivo: de illo quidem, id est, for-
ma, principaliter: de hoc, id est, materia, mi-
nùs principaliter.

Lib. 1. Anti-
schegk. pag.
356.

Simonius aliquando Lipsensis Acad. Phil.
Deo & creaturæ commune genus analogum
esse Ens, contendunt philosophi plerique.

1. Logicū, id
est, minùs ac-
curatum ge-
nus, Physico,
hoc est, abso-
luto, oppo-
nit.
2. de Sophist.
Elen,

Jac. Schegk. quondam philosophus Tu-
bingensis contra Simon. Hujusmodi Logi-
cum genus (quale est motus) imperfectum
genus est, & respectu physici generis ἐστὶν τὸ
ἴδιον apud Arist. 1 appellatur. Aristoteles 2 λόγος
seu syllogismos facit quadruplices: διδασκαλία
καὶ

κὺς, διδμεκτικὺς, πρῆξικὺς, ἐπεικὺς. Sed interpret
 G. Hildenius dicit esse species non oppositas,
 sed ἀνδρόβους unius generis, ad unum finē perti-
 nentes, idēq; εἶδη in absoluta & ἀνδρόβια dividit.
 Absoluta seu univoca ei sunt unius proximi
 generis species, de quibus ipsum genus equa-
 liter prædicatur. Analoga verò species, quæ
 ad unum genus proportionem obtinent: ita
 tamen, ut alterum altero nobilius, aut prius
 generi competere videatur. Prædicata sunt
 Essentialia aut Accidentalialia. Utraq; aut con-
 vertuntur, aut non. Essentiale, quod conver-
 titur, Definitio: Quod non, Genus. Acciden-
 tale quod cōvertitur, Proprium: Quod non,
 Accidens. Hæ, inquit Hildenius, sunt divisio-
 nes generis analogi, cum prius competat vox
 Prædicati & prædicationis iis, in quibus defi-
 nitio de definito dicitur. Archangelus: Mate-
 ria est quoddam Genus cōmune analogum,
 vel ab uno & ad unum, sub quo materia cœli
 & materia inferiorum, ut diversa analogata,
 diversiq; modi materiæ continentur, ut dice-
 re videtur Arist. 2. de gener. ubi inquit: Sunt
 & numero æqualia, & genere eadem princi-
 pia, quæ & in sempiternis & in corruptibili-
 bus. Hoc enim, ut materia: illud autē, ut for-
 ma: tertium, ut agens. Unde materia cœli &
 inferiorum ita sub uno communi genere
 continentur, ut forma & efficiens. Certum

In explicat.
 Anal. post 2.
 & Top. 1. c. 7.

Sic F. Crel. in
 Isagog: Dis-
 tinctio Sub-
 stantiz in pri-
 mæ & secun-
 dæ, est divi-
 sio generis a-
 nalogici in
 species, quod
 de speciebus
 suis secundū
 prius & poste-
 rius ducitur.
 In dilucid.
 pag 49.

autem est, quod forma & efficiēs aeternorum
& generabilium non conveniant genere u-
nivoco: sed analogo. Ergo etiam materia cœ-
li, & materia inferiorum sub uno communi
analogo continentur.

Fortunatus Crell. fideliss. Arist. interpres
in comment. in 7. libr. Arist. ἀπρόσεως, genus
nostrū λοσικώτερον, hoc est, minus exquisitum
nobis confirmat, & secutus Zabarellam, ge-
nus analogicum à genere πρὸς ἓν distinguit.
Ens, inquit, genus est, non quidem synony-
mum, sed πρὸς ἓν ad unum, quod Scholæ ana-
logicū improptiè appellant. Ita phar macū sa-
num dicitur, quia sanitatem affert: cibus sa-
nus, quia sanitatem conservat: homo sanus,
quia sanitatis subiectum est: Urina sana, quia
est signum sanitatis. Omnia hæc ad unum u-
namq; naturam quandam dicuntur, videlicet
ad sanitatem: & omnia sana dicuntur ob sa-
nitatem. Sanum igitur, ut genus, hæc omnia
sub se complectitur: at non ut genus synony-
mum: τὸ πρὸς ἓν autē dicuntur, cū multa re-
spectu primarii cuiusdam dicuntur, unoq; &
eodem nomine appellantur. Analogæ verò
sunt, cū duo vel plura etiam nomine eo-
dem nominantur, quod proportione aliqua
iis convenit. Ita fons, cor, punctum, prin-
ceps, principium dicitur, quia sicut se cor ad
corpus: ita princeps ad subditos habet. Sicut
prin-

Sic Demon-
stratio est, cō-
mune ab u-
no, vel ad u-
num: non cō-
mune analogi-
cum.

princeps ad subditos, vel cor ad corpus: ita punctum ad lineam se habet, cujus principiū est. Ex his intelligis, Genus seu cōmune ad unum esse, quod multis convenit respectu unius primarii, ut: Substantia ens est: quantitas ens est: qualitas ens est: sed ita, ut quantitatis & qualitatis entia sint respectu substantiæ primarii entis, à substantia enim & propter eam reliqua entia dicuntur. ¹ Genus verò analogū esse, quod multis analogia quadam commune est, velut principium.

Sed age nunc consideremus, quæ ab aliis objici possunt. 1. In quibus est prius & posterius, horum non est commune genus, ait Aristot. Omnia enim quæ sub alio genere sunt, ex æquo generis naturam sibi vendicant. In Entibus est aliquid prius & posterius. Substantia enim maximè & principaliter ens est: Accidens minùs principaliter. Ergo entium non est aliquod commune genus. Respond. 1. Sunt qui minorem negantes, Ens, inquit, Platonici id ipsum commune esse contendunt, in cujus ratione & natura omnia quæ sunt, ex æquo conveniunt. 2. Ego totum concedo, de genere omninò univoco, physico, absoluto; non verò de analogico, imperfecto, logico.

Homonyma seu æquivoca non sunt genera. Communia *γενὸς ἓν* ad unum, *ἀπὸ ἑνὸς*

Sic mens & animus habent inter se communitatem, id est, analogiā. Sicut enim visus inter sensus corporeos: ita mēs inter facultates animæ principatū obrinet.

1) Sic analogum preliū accipitur.

Sed si generaliore uturpes significatione, cōmune

γενὸς ἓν ἵ

ἀπὸ ἑνὸς

etiam est analogum.

2. Object.

Libr. 7. Phys.
cap. 4.

Respons.

In Metaph.
Ens dicitur
de 10. Cate-
goriis ho-
monymia
κατ' ἀνδρο-
γίαν.

Tale πρῶτον
vocum est
Abacus, μέ-
τα & viri no-
men.

Inter Syno-
nymia & ho-
monymiam
media est
ἀνδρογία,
generis ac-
cepta, parti-
cepti utriusq;
Cap. 6. libr. 1.

ab uno, & analogasunt homonyma Aristote-
li. Ergo communia *πρὸς ἓν καὶ ἀπ' ἑνὸς* & analo-
ga non sunt genera dicenda. Resp. Aristoteli
interdum analogicum *πρὸς ἓν* & *ἀπ' ἑνὸς* sub
homonymis continetur, interdum non. Vo-
cem enim Homonymias nunc pressius, nunc
latius usurpat. Alibi Ens homonymum facit,
alibi non. Quodam loco negat, quæ *πρὸς ἓν*
dicuntur, esse homonyma. Alibi, ut in Phys.
hoc affirmat. Et si quis, inquit Porphyrius, om-
nia appellet Entia: appellatio erit homony-
ma, non synonyma. Respondeo igitur ad Ma-
jorem per distinctionem. Quædam Aristote-
li sunt homonyma remota, quorum nomen
tantum est commune, definitio nequaquam,
ut: Juris nomen & speciei cuidam cibi tribui-
tur, & legibus politicis. Sic homo pictus, &
homo vivens, commune habent nomen ani-
malis, sed non definitionem hujus. Talia ho-
monyma nunquam rationem habent gene-
ris. Quædam ei sunt homonyma propinqua,
quæ propius ad synonymiam accedunt, quo-
rum non tantum nomen commune est, sed
definitio etiam quodammodo. Ea sunt media
inter synonymia simpliciter, & homonymia
simpliciter, & generis rationem habent. Esse
autem homonyma non uniusmodi, insuper
ostendunt duo insignes loci Aristotelis, quo-
rum alter est in Ethicis, ubi quærit, ex quo
gene-

genere homonymorum sint Ideæ, an quòd
casu aliquo in eandem nominis societatem
 veniant? an quòd *ab uno* proficiscantur? an
 quòd *ad unum* referantur? an quòd analogiæ
 aliqua ratione conjungantur? Alter est in
 Metaph. Ens multis quidem modis dicitur:
 sed *πρὸς ἓν*, id est, ad unum, omnes illi modi
 referuntur: non ambiguè quidem (*ὁμωνύμως*)
 sed quemadmodum salubre & sanum ad va-
 letudinem refertur. Hinc & Schegkiius in
 Antifimon. Communitatem Entis nec uni-
 vocam, nec æquivocam esse ait. 3. Object. si-
 milis est primæ. Sub genere non sunt tan-
 quam species *ἀντιδιηρημένα* quædam, quæ-
 cunque *κατὰ ὕψερον ἢ πρὸτερον* differunt. Sub-
 stantia & accidens ita differunt. Ergo non
 sunt sub Ente, ut genere, species, &c. Resp.
 Non sunt quidem sub genere absolutè spe-
 cies *ἀντιδιηρημένα* absolutè: sed sunt sub gene-
 re quodammodo species quadantenus *ἀντι-
 διηρημένα*: habent enim *πῶς*, id est, quodam-
 modo communem Ideam essentialiter, non
 accidentaliter. Hæc solutio non est contorta:
 non irruit huc vi: sed è Lycæo Aristotelis de-
 ducta huc venit precariò. Nam certum est τὸ
κατ' ἓν (secundùm unum) Aristoteli esse nota-
 tionem exquisiti propriiq; generis. Jam assu-
 mo verbis Arist. τὰ πρὸς μίαν λεγόμενα φύσιν, τὸ
πὸν πνὰ λέγεται κατ' ἓν, id est, quæ dicuntur ad

Dicuntur
 hæc fortuito
 homonyma:
 Reliqua, à
 consilio.
 Intellige ab
 uno princi-
 pio ad unum
 finem.

1. Object.

Id est, con-
 tradistinctæ.
 Id est, secun-
 dum prius &
 posterius.

Lib. γ. 1.
 Philos.

unum, seu commune *ἄλλοθεν*, etiam quodammodo secundum unum, seu generaliter unum dici possunt. Hic concludo: Ergo Commune ad unum Quodammodo genus aliquorum dici potest, quæ habent inter se communitatem, non accidentalem, sed essentialem. Si tamen genus illud, quod minùs exquisitum & imperfectum diximus, quis nolit genus appellare, sed *ἁπλοῦν*, Communius, Superius: cum eo equidem non admodum contendere. Sic minùs accuratæ species dicantur Inferiora, quæ interdum maximè propriè Modi, interdum etiam Gradus, appellantur.

Sic Mel. à superiori ad inferiorius, &c.
Sic Zabarell. Demonstrationis gradus sunt potius quàm species.

 PROBLEMA XIV.

An ad Idem numero, Specie, Genere, adjiciendum Idem proportione?

Concl. affirmatè.

Lib. 1. cap. 6.

ARISTOTELIS doctrina est in Topicis: Idem dici vel numero, vel specie, vel genere. Sed in Metaphysicis utiliter additur quartum, Idem analogia.

Lib. 4. cap. 9.

Numero eadem dicuntur, quæ re individué idem sunt: etsi nominibus differant. Hæc polyonyma aliquando, nō semper (Materia enim & privatio sæpe laudato Philosopho sunt idem numero, & differunt tantum ratione, sed non sunt *πολυώνυμα*) dicuntur:

&

& ἰσδιωαμῆντα, id est, significatione eadem seu paria, ut: Ensis & gladius: Tullius & Cicero: Socrates & civis Atticus, qui cicutam bibit: indumentum & vestis: ædes sacra, & templum Dei. Talia sunt propriū adjunctum & subjectum, ut: natum ad rugiendum & leo. Definitum & definitio, ut: ars benè dicendi, & Rhetorica. Græci etiā vocant Synonyma. Ita Synonyma prædicatio fuerit, hoc est idētica, cū idē de seiplo dicitur, ut: Phœbus est Apollo: Clypeus est scutum: Decorū est honestum. Sed Logici hac voce aliter utuntur, opposcentes eam homonymo. Synonyma enim seu univoca iis sunt, quæ habent & idem nomen, & eandem ejus definitionem, ut species, quæ ad idem genus referuntur. Et hoc commune nomen (genus videlicet) etiam appellant synonymum. Homonyma verò seu æquivoca vocant (intellige homonyma simpliciter) quæ unum tantum habent nomen, definitiones diversas.) Et hoc nomen etiam dicunt homonymum. Tale est canis vox significans & sidus, & animal terrestre. Hinc Damasceno Synonyma prædicatio est, cū subjectum & nomen & definitionem ipsius nominis recipit, ut: Socrates est homo. Æquivoca autem attributio est, cū subjectum quidem nomen suscipit, sed definitionem nequaquam, ut: Hæc

sic bestia & homo, quæ sunt species animalis, sūt synonyma: & ipsum animal dicitur, Synonymū.

Cap. 8. Dial.

Imago est homo ὁμοειδὴς.

statua

statua est Hector, Arca fœderis est Jehova. Specie eadem sunt quæ referuntur ad eandem speciem seu formam, ut: Plato & Aristoteles ad hominem. Sed illa quoque rectè dicuntur eadem genere, scilicet infimo seu ultimo.

Genere eadem sunt, quæ sunt sub eodem proximo genere, & quorum materia & forma aliqua communis est, ut: Homo & Bestia genere Animal conjunctè, ἐννοηματικῶς & symbolicè: materia verò & forma communi mole corporea & anima vegetante ac sentiente simpliciter distincteque eadem sunt. Sic eadem genere sunt Cœna Domini & Baptis-

Τὸν αὐτὸν λόγον ἔχοντα
eandem rationem habentia.

mus: Analogia eadem sunt, quæ conveniunt similitudine analogica, seu quorum eadem est qualitas similitudine proportionali, seu quorum eadem est ratio: horum etiam est ἐνότης unitas, non quidem essentiæ, quæ unitas propriè est ταυτότης identitas: sed qualitatis adjunctæ, quæ generaliter voce sumpta ὁμοιότης dici potest. Vel est ἐνότης, non absoluta, sed σχετικὴ & relativa. Sic signum & res signata sunt unum quiddam. Sic circumcisio præputii externa, & circumcisio cordis ἀπειρωσιμῶς & interna, unum fuerunt, non numero, non specie, non genere: sed proportionem, hoc significante: tollendam esse à nobis omnem impuritatem carnis & spiritus,

Circumcisio carnis significat peccati & vitiorum ab animis reflectionem, vel potius πωαιρέσιν eorum reflectionem.

omnesq;

omnesq; perversos affectus, voluptates vel-
 ut præcidendas, castrandas, frenoq; arcto co-
 hibendas: quarum genus univèrsim in cir-
 cumcisionis ceremonia indicatur ab una spe-
 cie insigni, videlicet illa, quæ est in congressu
 viri cum muliere, cujus quidem voluptatis
 repressio atq; cohibitio notatur partis ejus,
 quæ illi rei servit, mutilatione. Significat &
 ritus ille arrogantiæ & præsumptionis huma-
 næ refectionem, auctore Philone. Sic macta-
 tio immolatioq; agni: & crucifixio ac mors
 Christi, sacrificii verè ὑλαστῆρ: unum habenda
 sunt ἀνδρογία. Sic aqua Baptismi & sanguis
 Christi unum quiddam sunt ἀνδρογία, signifi-
 cante sanguinem Christi emuadare nos à
 peccatis. Sic panis sacrae Cœnæ fractio, &
 Christi passio ac mors proportione, χέσει seu
 habitudine, & mutuo respectu unum sunt.
 Idem judica de calicis Sacramentalis & san-
 guinis Christi effusione. Hæc exempla cla-
 rissimè ostendunt, & quartum Modum *eius-*
dem ad priores tres rectè ex Aristotelis Meta-
 phys. addi; & ejus usum esse magnum & illu-
 stre. Atq; hæc de proposita quæstione, cui
 adjicio tanquam Emblemata vel Corollarium
 hunc syllogismum: Quæ duo unum esse di-
 cuntur: & tamen neque numero, neque spe-
 cie, neq; genere unum sunt: ea non nisi ἀνά-
 λογία & χέσει unum quiddam esse possunt.

Signa

August. epist. 23. Si Sacramenta quaedam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent: omnino Sacramenta non essent,

Signa Sacramentalia, & Res Sacramenti unum esse dicuntur, sed nec numero, nec specie, nec genere. Ergo necesse est, ἀνδρογία, hoc est, ἕξις, & relatione sacra divinaque (quæ non est rationis, sed realis, & ἐνερητική) unum sunt, & conjuncta unione mystica, quæ Theologis est *Sacramentalis*, cui exhibitio rei est subordinata.

PROBLEMA XV.

An Deo genus Logicum tribui possit?

Disputatur περὶ γενῶς.

INGENIORUM & sententiarum tanquam collisione excutitur veritas. Commitemus igitur eos inter se, qui de Dei Genere non sunt ὁμόφωνοι, ut quid verum sit perspiciatur. Qui genus Dei nullum esse affirmant, ita arguunt: 1. Omne genus de suis speciebus absolute enunciatur, hisque nomen suum & rationem omnino, non quadam ex parte, communicat. Ergo si Dei genus aliquod esset, ejusdem species essent aliæ, quæ in illius natura cum Deo omnino communicarent. Nihil verò esse potest, quod in sua natura cum Deo omnino communicet. Ergo inter ea quæ sunt, nihil reperiri potest, quod ad Deum se habeat, ut genus ad speciem. 2. Genus de subjectis sibi speciebus συνωνύμως ἔμπροσθεν, hoc est, univocè &

Arist. 4. Top. cap. 5.

Genus & Species sunt Synonyma, inquit Aristot. Top. 4. cap. 3.

& æqualiter prædicatur. In descriptione Dei nihil loco generis dari potest, quod univoce & ex æquo attribuat Deo & creaturis, & non de Deo πρώτως ac principaliter, de reliquis verò ἐπομένως & minùs principaliter prædicetur. Ergo Dei genus nullum est. Assumptio probatur. Essentiæ enim & spiritus voces longè eminentiore, sublimiore, nobiliore ratione conveniunt Deo, quàm creaturæ: Seu species genus participant ex æquo, Deus & creaturæ non participant aliquid ex æquo. Ergo non possunt habere cõmune genus. 3. Quod est simpliciter simplex, & omnino ἀύνδιστον, non est totum ὅλως, sub descriptionem cadēs. Deus est simpliciter simplex, &c. Ergo non est totum definibile, hoc est, descriptio ejus non constat genere & differentia. 4. Quod Transcendens est, seu transcendit omnia genera, nō habet genus. Deus transcendit omnia genera, adeoq; ipsum etiam τὸ ὄν ens, ut ens entium, & principium principiorum. Ergo non habet genus. 5. Species suo genere est inferior, naturaq; eodem posterior, Aristot. 4. Top. cap. 2. Deus autem omnium summus est, & natura primus. Ergo Deus non potest esse species substantiæ, vel spiritus. 6. Si Deus sub Ente collocatur, derogatur perfectioni, & absolutissimæ prioritati (ignoscite manes Ciceroniani)

Genus est
μεδέκτορ,
id est, parti-
cipatur à suis
speciebus.

ejus.

ejus. At hoc fieri non est fas. Ergo nec illud.
 7. Jehovæ nomen est ἀκοινώνητον creaturæ. Essentia in descriptione Dei idem est quod Jehova seu ὁ ὢν. Ergo essentiæ nomen, quod in descriptione Dei adhibetur, est ἀκοινώνητον creaturis, & per consequens, non est genus Dei. 8. Genus non convertitur cum specie; Aristoteles 1. Topic. At Essentia cum Deo in descriptione ejus convertitur. Ergo Essentia ibi non est genus. 9. Finiti ad infinitum, (ut puncti ad amplissimum orbem,) nulla est proportio. Creaturæ omnes sunt finitæ: Deus infinitus. Ergo nulla est illarum ad hunc proportio: & per consequens: non potest esse commune genus Deo & creaturis. 10. Quæ sunt se totis distincta, in nullo conveniunt. Deus & creatura sunt se totis distincta. Ergo in nullo conveniunt. 11. Quæ genus habent categoricum, subjiciuntur categoriis. Deus non subjicitur prædicamentis. Ergo Deus &c. Assumptio probatur: 1. Nō enim possunt in idem genus convenire, aut ab eodem genere proficisci, corruptibile & incorruptibile, sed plusquam genere distant, ait Scaliger: in Categoria autem Substantiæ sunt res corruptibiles. Ergo Deus, qui incorruptibilis est, in eadem collocari nequit. 2. Non sunt sub eodem genere Ens per se, & Ens non per se. Solutus Deus est Ens per se, alio neutiquam indi-

Imò creaturæ est
 ἡ ἐξουσία,
 si conferantur ad
 ἐξουσίαν
 illam, quæ
 Deus est.

Exerc. 57.
 sect. 6.

indi-

indigens, ut sit. Ergo creatura & Deus non sunt sub eodem genere. 3. Omne quod est in genere, est finitum. Deus non est finitus. Ergo non est in genere. Seu: Nihil infinitum actu est in categoria. Deus est infinitus actu. Ergo. 4. Substantiæ maximè propriū est, contraria posse suscipere. Deus contraria suscipere nequit: neq; enim jam justus est, jam injustus. Ergo in substantiæ categoria esse nequit. 5. Substantia prædicamentalis est Ens, quod habet proprium esse, & sustinet accidentia, Dicitur enim substantia à substando. Deus non sustinet accidentia & affectiones: quia non est obnoxius mutationi, nec est compositus ex substantia & accidentibus. Ergo. Evidet hic illis auxilio in aciem ad expugnandam adversam partem nō exiguo numero Theologos & Philosophos celeberrimos: Augustinum, Damascenum, Athanasium, Magistrum sententiarum, Platonem, Boëtium, Scaligerum; & quos non? qui Deum & esse Ens, & substantiam prædicamentalem negant: amandant Deum supra omnem substantiam.

Contraveniunt alii, suum Deo genus asserere conantes ita: 1. Quod prædicari potest de multis, in quæstione quid sit non conversim, est genus, teste Arist. Substantia vel Spiritus prædicari potest ita de Deo & angelis.

Dicitur enim Deus est Spiritus: Sed non: Spiritus est Deus. Ergo. 2. Si Deus est in categoria substantiæ, habet genus. At primum. Ergo & secundum. Assumptio probatur: estque argumentum Perionii. Si Dei nomen in enuntiatione & quæstione Dialectica collocari potest, certè ad aliquod prædicamentum pertinere necesse est. Dei autem nomen in Enuntiatione Dialectica collocari posse, hinc potest intelligi, quod ipsum Aristoteles in 2. Topic. libro collocat. Hanc enim quæstionem ponit: Deusne injuriam faciat. Non igitur (inquit Perionius) sunt audiendi, qui Deum à categoria substantiæ excludunt. 3. Auctores laudari possunt multi hujus sententiæ. Arist. 6. cap. 1. Eth. Bonum est in substantiæ ordine, ut Deus. Idem 4. Top. cap. 2. Dei genus facit animal: differentiam verò immortale: quanquam genus istud justè virgula censoria notatur. Deus enim animal non est. Melanchthon ait in Categoria substantiæ: Genera in definitionibus sumuntur ex hac tabella, ut: Deus est essentia incorporea &c. Et: $\lambda\beta\sigma$, id est, filius Dei, est in prædicamento substantiæ. Idem Deitatem & humanitatem facit species disparatas. Fiat syllog. Disparata vocantur duæ species diversæ, quæ in unam rem confundi non possunt, ait Melanchthon 4. libro de Dispar. Cùm dicitur:

Prædicamēta sunt quasi peni, è quo genera in definitionibus petuntur.

Deus potest describi. Ergo genus ejus è prædicatur.

Filius

Filius Dei est homo, disparatum de disparato dici, ait idem Melanchthon totidem verbis. Conclusio hinc sequitur per se. Ergo Deus & homo sunt species disparatae. Perionius libr. 1. Dialect. Deum in hoc genere collocamus, praesertim cum de eo quaeri multa possunt, quae adimi non debeant Dialecticae, quam de omnibus rebus disserendi rationem, Aristotelem secuti, definitione explicavimus. Nam qui Deum propterea esse in substantiae categoria negant, quod in Deum accidens cadere nullum potest, si non satis perspexisse videntur Aristotelis sententiam. Is enim quaeri de Deo a Dialecticis vult quaedam, & ipsum expertem omnis mutationis docet. Cum igitur Deum in hoc genere reponit, non hoc vult, aut ad eum aliquid accedere, aut ab eo decedere: sed modo quodam, quem exprimere non possimus, ei convenire, quae aliarum categoriarum sint propria, ut: virtutem, actionem. Sed age nunc instituat conciliatio.

Hoc etiam Mel. dicit in doctrin. de praedicator.

Sic & Claud. Alber. & Hildenus.

I. Spiritus est Dei genus Logicum, id est, minus exquisitum (quod vulgo non satis proprie dicitur analogicum) seu genus πῶς, id est, quodammodo, & εἰς τὸ πῶς propè genus, seu εἰς τὸ τῶς πῶς. De hoc accipe quod Aristoteles in Metaphysicis ait: In Genere interdum multas latere homonymias.

Conciliatio quaedam.

Spiritus non est Dei genus physicum, omninò univocum, & exquisitum, & ἀπλῶς, id est, simpliciter.

II. Si Deus, ut simpliciter in se est, & τὸ ἀκατάληπτον θεῶ (incomprehensibile Dei) atque absoluta ejus perfectio spectatur, neq; definitionem, neque descriptionem, neq; scientiam, neque genus, neq; differentiam habet (quæ quidem propria nota est, separans ea quæ sub eodem genere continentur.) Nec subjicitur doctrinæ categoriarum, ut ἐπέκθηται τῆς ὕσεως.

Sic Plato & Alcinous Platon.

Deus etsi realis compositionis sit expers: tamen Ratione Nostris Modi cognoscendi Logice argumētis describitur, & inconceptus resolvitur.

Si Deus nostri ratione, seu τὸ γνωστὸν θεῶ consideratur, describitur iis, quæ sunt ut genus & differentia, & in categoria substantiæ collocatur. Humani enim ingenii imbecillitas Deum non potest cogitatione comprehendere, nisi sub ratione naturæ per se consistentis, quæ est ipsius substantiæ: quo modo Aristoteles ipse Deum videtur ad genus substantiæ retulisse, ait Jacob. Carpentar.

III. In Deo non reperiuntur, quæ inter se differunt re & essentia, seu hoc nō distinguitur ab illo rei ullius aut subjecti diversitate. Sic proprietates Dei essentielles sunt ipsa essentia Dei. Deus enim est actus purissimus & simplicissimus. In Deo hoc distinguitur ab illo, λόγῳ seu ὑπερολογισμῶ, ut loquitur Basiliius, ratione, definitione, abstractione nostra. Sic essen-

essentiales proprietates dicuntur *ουσιολογικῆς τῆς οὐσίας*, constituere naturam seu essentiam: (quanquam hæc etiam distingui possunt:)

r. Intelligens
Essent. & natura,

& Damascenus eas vocat *τὰ περὶ τὴν οὐσίαν*. Sic nostri ratione distinguenda sunt: Esse & velle Dei: Dei justitia & misericordia. Definitione enim differunt. Basilius: Quæ realitate & sub-

Lib. I. contra Eunom.

jecto sunt unum: sæpe definitione tamen, ratione & *δυνάμει* inter se differunt.

Deus non est
subjectum
inhærentiæ.

III. Nulla affectio in Deo est, quæ re ipsa aliquid Deo afferat, ejusdemq; essentiam verè afficiat.

Deus est sub-
jectum attri-
butionis.

Affectiones notionum & relationum re-
quæ attribuuntur Deo, ut principium, causa,
teste etiam Carpent.

V. Duo consideramus de Deo: Unum quidem, quemadmodum ipse est ab omnibus eminentissimè segregatus.

Alterum verò, quemadmodum inde omnia profluunt, semperq; dependent.

Primæ ratione, quatenus separatum quid est ab omnibus naturis, non tribuitur Deo Genus.

Secunda ratione, *χέσται* ad creaturas & affectione ejus in illis, quatenus est bonum his *κοινωνητὸν*, tribuitur Deo aliquid, quod vicem generis & differentię præstat.

Sic divinæ
cōsortes na-
turæ dici-
mur: & ima-
go Dei: & ge-
nus Dei: in
fac, pag.

Pulchrè huc quadrat, quod Aristot. 1. Polit. ait: Deum esse ejusdem generis cum genere

nostro, eum genuisse nos, & esse patrem nostrum. Excellentiore tantum *naturâ* esse.

Exerc. 365.
sect. 6.

Deus igitur est Essentia Scaligero, quamquam longè perfectiore & nobiliore ratione quàm nostra.

Exerc. 356.
sect. 4.

Et Deus est Scaligero $\dot{\nu}\pi\tau\epsilon\rho\upsilon\sigma\iota\sigma$: quod vocabulum amandat ipsum supra omnem substantiam, quando non est *ὑπόστασις*, quomodo nostra: quæ verba sunt ejusdem.

VI. Deus non est substantia, propriè scilicet, quæ substat accidentibus, & sit fulcrum in hærentium accidentium.

Deus est Substantia, quatenus ex se & per se, non per aliud subsistit, seu non indiget alio, ut sit.

VII. Deus est Ens per se, quia à nullo dependet. Ita creatura non est essentia.

Creatura est Ens per se, quia non est in alio, ut subjecto, vel quia sustinet accidentia, quæ sunt ens per aliud.

VIII. Deus & creaturæ sunt se totis distincti subjective.

Non sunt se totis distincti objective, id est, ut habent esse in intellectu.

IX. Proportio dupliciter accipitur: 1. Est determinatus excessus alterius; puta, quia est majus eo in duplo, triplo, vel aliis speciebus proportionis. Talis proportio & analogia infiniti ad finitum nulla est. 2. Est quæcunq; habet

habitus unius ad alterū, sive effecti ad causam, sive objecti ad potentiam. Talis proportio finiti ad infinitum esse potest.

X. Corruptibile & incorruptibile non sunt sub eodem genere proximo. Sic Deus & creatura, corpus & animus, differunt genere.

Corrupt. & incorrupt. sub eodem genere esse possunt remoto. Cælum est Aristoteli incorruptibile, Elementa corruptibilia: & tamen non distant toto genere. Adhæc, toto genere corruptibile & incorruptibile differre, ex eo etiam non videtur *κατὰ παντός*: quoddam lux Scaligero est incorruptibilis: Color verò est corruptibilis: color tamen & lux non differunt toto genere: nam utraque est qualitas visibilis.

XI. Deus est Transcendens Physicum, quia est causa sine causa, ens sine ente, seu est ens entium, causa causarum, principium principiorum.

Deus non est Transcendens Logicum & Metaphysicum, Logica enim & Metaphysica Deum Enti subijcit. Syllogismus est *ἀμετακίνητος* & firmissimus. Transcendens Logicum de omnibus rerum generibus prædicari potest. Deus autem de substantia, quantitate, qualitate, &c. prædicari non potest. Quis enim dixerit: Substantia, Quantitas, & Qualitas, sunt Deus? Ergo Deus non est Transcendens Log.

Sic *αὐτὸς* est primi mobilis ad primum motorem.

Alii dicunt: non sunt sub uno genere Physico, sed Logico.

Scaligero etiam Angelus est in prædicamento substantiæ transnaturali.

Deus ratione sui absolutè primum est in ordine Entium, scilicet specialium.

Deus ratione nostræ intelligentiæ posterior est Entis notione.

Non itaq; conflictantur secum hæc: Deus est primum Ens, id est, omnis entis causa: Et Deus est infra ens, id est, est Ens. Logicè supra se Deus habet Argumentum, ut: Deus est causa efficiens, est finis. Quid igitur obstat, quò minùs subjiciatur Enti?

XII. Substantia non suscipit contraria. Verum de creatore.

Substantia suscipit contraria. Verum de creatura.

Deus non suscipit contraria, revera.

Deus suscipit contraria, disputatione, in qua Dialectica versatur. Quæri enim potest: An Deus injuriam faciat: Utrum sit justus, an injustus. Quædam etiam actiones Dei externæ respectu nostri contrariæ sunt: ut, punire & benefacere.

XIII. In Descriptione Dei essentia non est genus, si intelligitur esse idem quod ὁ ὢν, qui est Jehova, ἑσθότης, essentialitas. Hæc enim reciprocantur cum Deo.

In Descr. Dei essentia est genus seu potiùs commune εἶδος ἐνός, ab uno, si vox Essentiæ accipitur communiter & usitatè: ut angelus etiam dicatur essentia, sed ita, ut Deus sit longè lon-

Simon. in
Antischieg.
pag. 66.

Sic iudicat
etiam Beur-
husius.

longeque; angustiore modo, & perfectiore gradu essentia: (Ut bonitas Dei attributum essentiale, analogica quadam homonymia rebus creatis tribuitur, non quidem ut essentia, sed ut qualitas à Deo effecta, & in eas transfusa.) Posteriori modo, ut accipiendum aliquis putet vocem Essentiæ in libris Theol. Catecheticis, duobus moveri potest: Primum est: quod $\delta\omega\nu$ seu Jehova est ipsum definitum. Cum enim nomen Dei sit $\delta\omega\nu$ seu Jehova, cum quaeritur, quid est Deus, nihil aliud quaeri videtur, quam Quid est $\delta\omega\nu$? Quid est Jehova? Definitum autem ipsum non est definitionis pars. Apparet igitur cum dicitur: Deus est essentia, Essentiæ voce non intelligi $\tau\omicron\nu\upsilon\tau\alpha$ seu Jehovam. Secundum est, quod epitheta seu addita voci Essentiæ hujus rem etiam creaturis tribuere videntur. Cum enim dicitur: Deus est essentia incorporea, æterna, hoc dicitur: Deus non est essentia corporea, sed incorporea: Deus non est essentia temporali subjecta, sed æterna. Quod si quis forte arctius teneat hoc: Totam Dei naturam hinc Essentiæ voce denotari: Essentia erit tanquam descriptio: reliqua verò quæ adduntur, erunt hujus explicatio. Sed liberum hinc relinquo cuique; suum iudicium.

Genus sitné Materia an Forma?

Distinguitur.

AVERROES alicubi ait generalia esse cōposita, hoc est, è materia & forma constare. Alicubi verò genus esse formam universalem seu communem, sicut differētia est forma particularis. Hæ asseverationes videntur esse contrariæ, Si enim genus est forma, quī constabit materiā & forma. Sed contrariæ non sunt propter considerationis modum diversum. Genus enim secundum sese est compositum. Nam, exempli causa, animal constat ex forma animalis & materia illi formæ subjecta, & significat formam in materiā. Genus autē est forma, nempe communis subjectis omnibus speciebus. Præter eā animal est tanquam materia in homine, quia respectu formæ specificæ habet locum materiæ. Animal verò significat formā communem: quia non per materiam, sed per formam suam est animal.

PROBLEMA XVII.

An Individua sint Species specialissima?

Affirmatur.

VERISSIMA sententia est, ut Animal genus est hominis & leonis: Sic homo est
genus

genus hominum singulorum, ut Platonis & Aristotelis: itaque Platonem & Aristotelem esse ultimas species. Ea probari potest primum è natura generis & speciei, 2. usu bene differentium, & Aristotelis testimoniis. Primum: Generis natura est, ut universam multitudinem, quæ ei subjecta est, complectatur. In cap. de genere, Homo complectitur Joh. Petrum, Paulum, & cæteram multitudinem, quæ ei subjecta est, Ergo est genus. 2. Relatorum unum uni tantum opponitur. Homo igitur species simul superioris animalis, & inferiorum individuorum respectu dici non potest: Sed si Species est Animalis, necessario erit Genus Aristotelis. 3. Genus id esse dicitur, quod habet species. Species verò est pars generi ita subjecta, ut ejus nomen, definitionem & essentiam habeat sibi communicatam. Habent autem Plato & Aristoteles, & nomen & essentiam ac definitionem hominis. Aristoteles igitur & Plato sunt hominis species. 4. Item species per se & naturaliter non prædicatur, sed subjicitur. At homo prædicatur de Aristotele. Ergo homo non est species Aristotelis. Secundò: Seneca Hominem speciem animalis, Genus autem Ciceronis & Lucretii expressè nominat: & Homo, inquit, quia multa continet, in genus cadit: quia sub alio est, in speciem.

Iidem Stichi & Pamphilum species: Hominē verò genus dicunt. Iidē in comodato speciē (hunc librum) non genus: in tuo genus (aureum nummum) non speciē (hunc aureum nummum) reddi jubent.

Et Damascen. Individua vocat *ειδητόμα*.

Object.

Respons.

Icti dicunt, Legatum speciei (ut hujus domus, Stichi) interitu speciei extingui. Rod. Agr. Species tum demum species dicenda est, cum refertur ad genus. Nam individuis collata rationem speciei amittit. Et Rhetores & Dialectici Quæstionem de individuo vocant specialem quæstionem, ut: An Catoni uxor ducenda. Philip. Melanch. locum Argumenti Individui argumento Speciei complectitur & intelligit. Theologi actionem Dei singularem, ut qua Hieremiam vel Moſen in periculis ſervat, sæpe vocant specialem. Ad hæc auctoritas Arist. manifesta est. Genus est impossibile esse absq; speciebus, libr. 3. Metaph. cap. 3. Homo est extremum genus, lib. 3. ca. 1. Ergo non potest esse sine speciebus, quæ alia esse non possunt, quàm individua. Idem 4. cap. 1. de partibus, Socratem vocat *ἐξοματον εἶδος*, ultimam speciē. Homo itaq; proximum ejus genus sit necesse est. At inquis: Logici plurimi Hominem individuorum speciem dicunt, iidemque cum Porphyrio hominem speciem specialissimam vocant. Respon. 1. Cùm hominem speciem individuorum dicunt, generalem, & communem omnibus individuis, formam, ideam & imaginem intelligunt, quemadmodum se ipsi explicant. Dicunt hominem & equum differre specie, & intelligunt forma differre. Cùm iidem cum

cum Porphyrio in arbore Hominem speciem specialissimam vocant, id de scientia seu disciplina, quæ hominis naturam explicat, intelligendum est. Disciplinæ enim & scientiæ sunt universalium tantum: Sensus singularium, ἕδμεία γὸ τέχνη τὰ κατέκαστα σκοποῦσι, inquit Aristoteles. Quia hæc sunt ἀπείροι καὶ φθαρτὰ, infinita & caduca ferè. Scientiæ autem rerum necessariorum, perpetuarum, finitarum, immutabilium sunt. Homo igitur species illa specialissima est & universalis, quæ disciplinæ de homine subjecta est: Socrates verò & Corisc. Species specialissimæ sunt & singulares artificii medico, verbi gratia, subjectæ. Medicus enim non hominem, sed hunc & istum hominem curat. Medicina verò hominem, ut hominem καὶ δόλη, curare docet. Sic Theologus hunc vel illum cœtum Christianum docet: Theologia verò quemvis. Et hoc est quod Plato dicit, in ultimis his speciebus, nempe universalibus, esse conquisendum: quia nimirum scientiæ sunt universaliū tantum, excepta Astrologia, quæ quidem singularium est, sed quâ perpetua & immutabilia esse intelliguntur. 2. Aristoteles sepe speciem usurpat pro genere, id quod oculatiss. interpretes observarunt. Top. 5. Homo & equus sunt idem specie, hoc est, continetur sub eodem genere. Non tamen dissimulo Aristotelem

Id est, Physica vel Medica.

lem in categoria substantiæ & alibi: Hominem speciem, non genus hujus hominis facere, quod hodie Scholæ peripateticæ sequuntur, ut species habeat duplicem relationem: unam ad genus, alteram ad individuum, seu singulare, quod tamen aliquando in philosophia Aristotelis pro specie specialissima, quam vocant (quæ nobis est ultimum genus) accipitur. 1. Phys. Ex universalibus procedere oportet ad singularia, id est, ad ultima seu infima genera, seu, ut illi loquuntur, ad ultimas species. Nam verè singularia (quæ individua sunt) excludit Aristoteles è scientia. In fine 2. post. Facilius definitur singulare quàm universale. Hic ait interpretès; singulare est minùs universale, seu species infima: alii dicerent, infimum genus. Quia propriè singularium, ut Petri neq; definitiones sunt, voce specialiter accepta, neque demonstrationes. Postremò illic fortè aliquis: Ab Individuis mens nostra abstrahit speciem. Ergo Individuum non est species. Resp. Species mente concepta non est species Logica, nec ratio nominis speciei ex illa imagine repetenda est, quod sequente libro ostendemus. Sed singularia sunt re ipsa species, & quidem ut Græci loquuntur, ἀτομα εἶδη, quæ genus continet, ut communis natura illis insita. Sanè nomen Speciei individuis be-

Obiect.

Ἀνωλόγητα
est, speciem
ab individuo
abstractam
dicere Logi-
cā speciem.
1) Species in
alias species
individua:
et si interim
in mēbra di-
vidi possint.

ne quadrat. Species dicta est, quod confusum & informe genus expoliat, & conspiciendum nobis exhibeat. Id præstat individuum. Ergo rectè dicitur species.

PROBLEMA XVIII.

Genusne speciem, an species genus contineat?

Distinguitur.

PORPHYRIUS cap. 4. de collatione generis & speciei: Species non continet genus. Ar quomodo species non continebit genus, cum illa constet ex hoc, & differentiâ, tanquam è materia & forma: Porphy. cap. 4. Respon. Species quia non est totum Universale, non continet genus ut partem subjectivam. Genus enim ipsum est totum universale, quod continet species suo complexu: ut partes. Species verò ipsa, ut Totum Definibile, & res definita, continet genus, ut partem essentialem, ut sine quo definiri non possit. Ais: Si genus continet species, in se quoq; habebit oppositas differentias. At has continere non potest, cum opposita non sint in eodem. Responsum fuit antè: Genus habere in se contrarias differentias potestate, non actu, hoc est: genus intelligitur esse quiddam dividuum in species, quæ actu in se continent differentias.

obj.
is species con-
no p. l. g.
C. h. u. g. g.

no

obj.
is species con-
no p. l. g.
C. h. u. g. g.

An Mas & Fœmina sint species animalis?

Negatur.

RECTE Aristoteles pronunciavit: Tarditatem & celeritatē non esse species motus, nec differentias specierum effectrices: quia species omnes comitantur. Adjuncta igitur motus sunt. Eandem ob causam mas & fœmina nō sunt species animalis. Accedit huc, quod ne in omnibus quidem animalibus sexus discretio invenitur. Sed Plato duplex hominis genus facit; virum seu marem, & fœminam: ubi dixeris: genus eum accipere pro specie: quod non est infrequens: ut, cū dicuntur duo esse animalis genera, id est, species; & homo & equus differre genere, id est, specie, secundum interpretes Aristotelis. Respondeo: Marem & fœminā non esse vera genera, id est, veras species hominis, agnoscit etiam Serranus, interpret & versor Platonis optimus. Ait enim: Duplex est *quasi* hominis genus, Mas & fœmina. Addo ego, non esse species, quia cum homine non recipiuntur, seu ei soli non conveniunt, teste experientia & rei rusticæ scriptoribus. Et bestia alia mares, alia fœminæ sunt, ait Cicero. Apud Platonem itaque allato loco dixerim, non accipi genus pro specie logica, sed pro sexu. Inquis: Genes. i. cap. legitur Deus creasse mares

Multa animalia sexu carent.
Objectio.
In Timæo.

Aristotel. li. de longitudine & brevitate vitæ, ca. 1.

Object.

marem & fœminam: indidemq; patere, De-
 um cõdidisse species animalium. At, inquam Solutio.
 ego, inde non efficiuntur mas & fœmina spe-
 cies vel animalis, vel hominis. Deus enim
 creavit *hos* homines, Adamum & Evam; sexu
 distinctos, non quidem essentialiter, sed ac-
 cidentaliter. Sic habet litera: Deus masculum
 & fœminam creavit *eos*. Unà igitur cum *ius*, id
 est, primis hominibus, ut substantiis, creavit
 accidentia, quæ sunt, marem vel fœminam
 esse; ut, cum cœlo simul rotundum & tem-
 pus fecit. Sed age, disputatiunculam nostram
 hoc Syllogismo concludamus. Species seu
 differentia essentialis misceri non possunt.
 Mas & fœmina in Hermaphrodito seu an- Porphyr. &
 drogyno miscentur. Dari igitur necesse est, Scal.
 marem & fœminam non esse species seu dif-
 ferentias essentialis neq; hominis, neq; ani-
 malis. Cumq; multa animalia sensu careant,
 & sexus non nisi in perfectis speciebus dis-
 tinctus sit: relinquitur, quod in causa est, Scalig 131.
 sexum esse quorundam tantum animalium ex. sect. 4.
 accidens, & marem & fœminam esse ejus-
 dem speciei.

 PROBLEMA XX.

*Postrema precedentis questionis verba vocan-
 tur in dubium.*

Ec

Ut

Object.

UT quæstio alia ex alia saepe incidit: sic ex modò dictis existit ἀπορία. Masculinum enim & fœmininum sunt contraria inter se.

Solutio.

Contraria autem distinguuntur specie; cùm contrarietas sit oppositio secundum formam. Differunt igitur masculinum & fœmininum specie. Hic respondetur per distinctionem: τὸ masculinum & fœmininum cōferuntur vel cum genere, quod dividunt; vel cum subjecto, seu eo in quo sunt. Priori ratione differunt specie, dividunt enim genus suum, videlicet sexum. Ita sexus masculinus distinguitur specie à fœminino: posteriore verò respectu, id est, cùm referuntur ad ea, in quibus sunt, ut ad hominem, & equum, & hujusmodi, non differunt specie, nec faciunt

Object.

distinctionē εἰς δύο ποσῶν. Verùm dicat quispiam, contrarietatem non esse necessariò oppositionem secundum formam. Videtur enim frigiditas esse secundum gradus contraria caliditati, non tota sua essentia. Nam si seruetur proportio, calidum potest cum frigido in unum naturale convenire. Hic animadvertendum, nos loqui de perfecta contrarietate, seu de perfectè contrariis. Ea non opponuntur secundum gradus. Quò spectat hoc axioma ex primæ Philosophiæ fundamentis huc accessitum. Omne ens est contrarium contrario suo per suam essentiam, quâ est id quod

Solutio.

est.

est. Quando autem frigiditas & caliditas coeunt, & simul sunt in compositis naturalibus, tum sunt remissa, refracta, & quodammodo corrupta.

PROBLEMA XXI.

An quicquid generi inest, inest etiam speciei?

QUICQUID generi inest, inesse etiam speciei cuilibet, hinc liquet, quod tota generis definitio speciei convenit, & de speciebus singulis praedicatur. Sed opponi Object. potest Aristoteles, qui in Topic. inquit: Non est necesse, quaecunque generi insunt, etiam speciei inesse. Distinguo igitur sic: Quicquid generi inest actu, inest etiam speciei. Solutio. Non quicquid generi inest potentia, etiam speciei inest. Differentiae autem divisivae insunt generi potentia (ut rationale & irrationale animali) ad generis enim constitutionem non requiruntur. Non igitur differentiae illae alicui generis speciei simul insunt. Haec autem potentia generis, ut materialis principii, per causam efficientem in actum reducitur, ita, ut una differentia huic, altera illi tantum speciei conveniat.

An species specie naturâ prior sit?

Negatur.

Arist. in cap.
de simul.Sic differen-
tia ejusdem
generis ratio
nale & brutū
sunt simul
naturâ.
Object.

Solutio.

PROFITENTUR Philosophi, sub eodem genere species oppositas, ut hominem & bestiam, simul esse naturâ; nec alteram altera esse priorem aut notioerem: etsi interrim inter eas differentia quædam ordinis sit, ut in arte hanc speciem illi præponas. Sed adversus illud opponi potest: Non esse illud in omnibus speciebus verum; quod binarius & ternarius, cum species numeri sint: binarius tamen sit ternario prior. Linea item & superficies, cum sint species magnitudinis: linea tamen sit prior superficie. Ad hanc *evsa-* *on* infringendam, dicendum: Species considerari dupliciter: vel in genere suo, & sic omnes esse simul: vel inter se, & sic posse non esse simul.

PROBLEMA XXIII.

An omnia exempla sint Individua, seu species specialissima?

Negatur.

EXEMPLIS sæpe dubia comprobantur. Itaq; dubium non est, quin exempla sint argumenta. Cum autem exempla generalium exempla sint, specialia sint necesse est. Cum igitur species sint generum: quæritor, *hinc*

sintné exempla species subalternæ, an infimæ seu singulares. Hic respondendum est: Exempla aut esse *ἄπειρα* & *ἀβείρα*, non definita proprio nomine; qualia sunt exempla Majorum, Græcorum, Romanorum. Aut sunt *ὁρισμένα*, definita, ἢ *κατέργασα*, quæ habent proprium nomen: ut exemplum Themistoclis, Periclis. Illa sunt species subalternæ, seu genera subalterna. Hæc verò sunt species individua seu specialissimæ. Exempli causa: Caussarum efficientium procreantium exemplum est tùm generatim, parens: tùm speciatim, hic parens. Parens species est respectu efficientis procreantis; genus est respectu hujus parentis, ut Ciceronis. Hic parens, ut Cicero, tantùm species seu *ἄτομον εἶδος* est.

Quidam Philosophi sunt divini: ut veteres: ut Plato.

PROBLEMA XXIII.

An ultima species sit, quæ proxima est individuis?

Distinguitur.

NON est *περιεργία ἀρχῆς καὶ πρῶτης*, ut cum Galeno loquar, id est, inutilis rei curiositas, ad tribunal rationis vocare, quod P. Ramus tradit: Individuum esse speciem, qua non sit inferior alia, hoc est, ultimam. Nam & Melanch. ex Arist. speciem ultimam Individuo proximam (ut hominem Catoni) constituit: & cùm ordo *διδοσθησας* progrediatur à generalioribus per subalter-

Duo argumenta contra Ramum.

Ec 3 na &

na & intermedia ad specialissima, in quibus terminatur & desinit; ita, ut individuis valere jussis seu pratermissis, tractet ultimo loco quæ his sunt proxima, ut quorum non requiritur ulterior distinctio: sequi videtur non individua esse specialissima & extremas species, sed ea in quibus doctrina terminatur, & subsistit, videlicet quæ proximè sunt supra individua: ut, Physica in hominis doctrina desinit; de Catone, Petro, Paulo, attingit nihil. Ad hæc sic respondendum: Primò, cum alicubi Phil. Mel. & Aristoteles hominem dicunt esse speciem individuis proximam, species est intelligenda de forma omnibus cognatis individuis cõmuni, quæ nihil est aliud, quàm genus infimum. Philippum autem etiam Individuo nomen speciei tribuere, quatenus species refertur ad genus, patet ex 4. li. Dialect. ubi genus nominat quicquid est superius: Speciem verò quicquid est inferius. Individuum sub loco speciei comprehendit, & singularem propositionem seu hypothesein speciei, ut thesin generi, subjicit. Non enim habet peculiarem locum argumenti ab Individuo. Si igitur quæras, unde ductum sit argumentum: Cato est. Igitur homo est. Igitur animal est: Respondet Philippi discipulus: A specie. Idem liquet ex 3. lib. Dial. ejusdem: Tertia figura, inquit regula 13. de Syllogismis, proce-

Solutio.

procedit à specie ad genus. Posita enim specie, necesse est poni genus. Sed cōclusio tantum fit particularis; quia aliquid tribuitur generi propter unam speciem, quod nō potest universaliter generi tribui. Hæc assertio Philippi nobis major sit propositio. Jam verò, ut allumamus, Syllogismi tertiæ figuræ sunt, eodem teste: 1. Lunæ motu & lumine efficiuntur variæ mutationes in corporibus animantium. Luna autem stella est. Ergo stellæ aliquas habent effectiones in corporibus animantium. 2. Hæc res urit. Hæc res est ignis. Ergo ignis urit. In his igitur Syllogismis ex Philippo concludimus procedi à specie ad genus. Proceditur autem ab individuo, ut *Luna, Hac re*, ad stellas, & ignem, genera. Individuum igitur seu singulare Philippo hic species sit, necesse est. Sic Aristoteli in Metaphysicis, quæ non exiguam partem continet Logicæ, ἐξ ἄτα ἕν, id est, ultima genera sunt, quæ prædicantur de individuis. Hinc sic arguo: Quæ proximè prædicantur de individuis, sunt ultima genera. Homo prædicatur proximè de individuo, Carone, Cicerone. Homo igitur est ἐξ ἄτα ἕν. Secundò, respondendum per distinctionem: Individuum, ut Caron, est ultima species φύσει, id est, natura. Quod individuo proximum est, ut homo, est ultima

species δέσει & τρέξει artificiali, seu arte: quæ cum finita sit, infinitatem singularium non recipit: ut hîc locum habeat illud: Finitum infiniti capax non est. Itaq; post ultimam speciem in artium descriptione Plato jubet quiescere. Sed nos de his satis ἐπι χερῶν. Hîc igitur quoq; ipsi quiescamus.

P R O B L E M A XXV.

An aliqua sit divisio Nominis?

CUM Aristoteles & alii Dialectici de distinctione vocis multiplicis in suas significationes præcipiant: ea Divisionis species faciendæ, & Distributio constituenda erit duplex; Nominalis & Realis: ut sit Distributio nominalis distinctio nominis πολλὰ ἄλλως λεγόμενα, id est, multa significantis, in sua significata, ut: vocis Libertas alia significatio est, qua significat libertatem civilem: alia, qua transfertur ad liberationem à peccato, ira Dei, æterna morte. Realis verò sit, qua res tota in partes suas distinguitur, ut: animalium aliud homo, aliud bestia. Aut explicatio æquivocorum, seu distinctio nominum πολλασημῶν ad Definitionem nominis referenda erit: quod non incommodè fieri posse puto. Aut deniq; , quod doctis quibusdam placere video, referetur ad distributionem ἐ subjectis; quod voces significandis rebus sint impostæ

positæ & adjunctæ. Symbola & signa signatorum & significatorum sunt adjuncta. Voces sunt symbola, notæ & signa rerum signatarum & significatarum. Ergo voces sunt adjuncta: res signatæ subjecta.

PROBLEMA XXVI.

Quæ sit quarta forma divisionum?

DISTRIBUTIO ex adjunctis Ramo alia est quàm Melanchthoni divisio subjecti in accidentia. Hæc enim est nihil aliud quàm enumeratio accidentium subjecti: cui enumerationi si addatur genus, descriptio ea est: Ut, Episcopus sciat doctrinam Ecclesiæ, sit idoneus ad docendum, amans veritatis, studiosus concordie publicæ, timeat Deum, moribus honestis ornet doctrinam, &c. Adde genus, videlicet Personam, & habes descriptionem Episcopi. Talis autem enumeratio propriarum conditionum & *resonantibus* personæ vel rei à Ramo divisio non dicitur. Huic igitur distributio ex adjunctis est, quando totum quod dividitur est subjectum: partes verò ex toto divisæ sunt adjuncta. Ac symbolum ejus est, Aut vel Alius. Ut: Homo est aut pulcher, aut deformis. Seu: Hominum alii sunt pulchri, alii deformes. At cur Melanchthon enumerationem illam, quam diximus,

vocat divisionem, seu distributionem? Hanc credo fuisse causam, quod habet analogiam cum ea forma divisionis seu distributionis, quæ dicitur partitio: cuius symbolum est Et, ut partes Gram. sunt Etymologia & Syntaxis. Episcopus igitur integrum est analogicè: Sciat doctrinam Ecclesiæ, & timeat Deum, &c. quasi membra Episcopi sunt. Ad quam formam igitur refert Melan. Distributionem ex adjunctis propriè dictam, quam Ramus tradit? Ad divisionem generis in species revocat: seu ei divisio est generis in species reductivè, ut loquuntur. Nam, inquit, necesse est species discerni vel per differentias, vel per propria, vel per accidentia, &c. Melächthoni igitur Distributio illa: Homo aut pulcer est, aut deformis, est divisio generis in species per accidentia, vel per differentias adventitias seu externas. Sed intelligatur analogica divisio. Hic enim Homo quasi, & per accidens genus est: Pulcer, deformis, quasi species sunt, vel quasi & per accidens formæ specierum; cum per se & propriè adjuncta sint pulcritudo & deformitas hominis subiecti. Cùm hæc commentarer, Joh. Rodenburgius, cui laudem tribuo acuminis, inspiciendas mihi dabat Fons. Instit. Dial. Ex adsequentem quæstionem occasionem dederunt: Parietum alius est albus, alius niger; distri-

distributio est ex adjunctis. At colorum alius est albus, alius niger, divisio est generis in species. Quæ ratio diversitatis? Hanc brevi contentione explico: 1. In priore distributione membra dividenda sunt per accidens partes divisi. In posteriore sunt per se partes, ut species generi subjæctæ. 2. In priore prædicantur albus & niger accidentaliter: in post. essentialiter. 3. In priore albus & niger sunt concreta seu denominativa: in post. abstracta seu denominantia.

Respons.

Albus paries non est idem quod albedo: sed habet albedinem. At albus color est idem quod albedo: ut niger idem quod nigror.

PROBLEMA XXVII.

De exemplis quibusdam Distributionum.

PRIMUM quæritur: Utrùm sit divisio generis in formas specierum; Animalium aliud loquens, aliud mutum: An potius sit distributio ex adjunctis? P. Ramus, quem infestissimè crimentur licet alii, ego eo loco habeo, quo Academicus Philosophus, qui non est servū pecus, habendus est. Is ergo exemplum modò allatum, refert ad distributionem generis in formas specierum, seu differentias essentielles, quæ contrariæ sunt. Si veræ & propriæ formæ intelligantur, alienum est exemplum: si intelligas loquens & mutum vicem præstare, seu locum tenere ignotæ formæ; ex hac siue ἰπολύψη siue ἰπαδύσιον

i. Quæstio,

Respons.

exem.

exemplum quadrat. Alioqui propriè pertinet ad distributionem ex adjunctis. Melanchthon diceret esse divisionem generis in species per propria. Sed hinc pullulat alia quæstio: An Logicè bestia dicatur muta: &, An per loquens & mutum animal divisum sit in privantia. Respon. Si *διώμις* inesset loquendi bestiis, propriè dicerentur privata actu loquendi, seu mutæ. At non illud; Ergo nec hoc. Propositio manifesta est, quia ut aliquid dicatur privatum esse, requiritur in primis hæc conditio, ut sit subjectū aptum ad recipiendum habitum. Propriè igitur diceretur: Animalium aliud potest loqui, aliud non potest loqui: Quæ divisio est animalis in *ἀποφαικὰ*, id est, contradicentia. Assumptio etiam patet. Si enim facultas illa inesset brutis, aliquando deduceretur, aut deducta fuisset in actum, & in bruta conveniret ratio. Sed tamen Bestiæ quodammodo mutæ dici possunt. Et quidem Ciceronis exempla in promptu sunt nō pauca. Et Græci *ἄλογος* dicunt. Quid ita? Quia etsi bestia per naturam loqui, & sermone uti nequit; habet tamen instrumentum vocis: habet initium quoddam loquelæ & sermonis, dum prorumpit in vocem, & sonum quendam edit inconditum, vel canit, ut aviculæ. Est igitur quasi muta. Plin. Merula, inquit, canit æstate, hyeme balbutit, circa solstitium

Intellige
quasi species.

2. Quæstio.

Respon.

muta. Et quidem quædam animalia humanam proferunt vocem; sed hæc non est propriè locutio, quia non intelligunt quod pronunciant, & assuetudine id agunt tantùm, nō ratione. Ita assuefacta quasi loquuntur (ut psittacus, pica, graculus,) & quadantenus muta sunt. Quod autem in prover. piscis dicitur mutus, ea *κατάχρησις* Logicam ἀπίθειαν non evertit. Tertio quæritur: Melanch. divisio substantiæ in incorpoream, ut est Deus: & corpoream, ad quam formam referenda sit? Respon. cū Melanchthoni Deus sit species (singularis seu individua) & essentia prædicamentalis, vel etiam spiritus Dei sit genus: non obscurum est, esse illam divisionem generis in species. Sed ii, quibuscum aliàs nobis res fuit, opponunt infinitum finito non posse comprehendi: & simplicissimum esse expers compositionis generis & differentiæ. Respondemus: Quod essentiã infinitum est, & simplicissimum, quatenus sit *ἰ νόημα* quoddam, & aliquid de eo prædicatur, finitum & determinatum aliquid efficitur, & compositionem aliquam, quæ rationis est, admittit. Deus igitur, prout *νόημα* quoddam est, quod mente concipitur, formatur, & oratione exprimitur, finito aliquo, ut categoria, comprehendit, & aliquid loco generis & differentiæ habere potest. Quarto quæritur, quò perti-

3. Quæstio.

In prædic.
substan.
Categoriæ
substantiæ
includa.

i) res intellectu comprehensa.

Deus infinitus est essentia, sed non notione nostra.

parti-

pertineat distinctio Trinitatis, seu Dei in tres personas? Respon. Laconica brevitate (de Deo enim sobriè & parcè loquendum) eam rectè reduci seu analogicè referri ad partitionem: Quia persona est quasi pars totius essentia.

Hac ratione
Trinitas di-
citur Tota.

PROBLEMA XXVIII.

An omnis definitio ἐννοματικὴ, seu nominis, quæ vocatur, sit oratio?

Negatur.

QUI definitionem cùm rei, tum nominis, dicunt esse orationem (ut Fonseca) non satis cautè loqui mihi videntur. Nam definitio nominis interdum fit uno vocabulo: ut, si peregrinæ linguæ vocabulum interpreteris notiore vocabulo nostræ linguæ. Exempla sunt: Centaurium est Aurin, seu Tausentgûlden: Ἄνθρωπος est homo: Apollo est Sol: Honestum est decens seu decorum: Ensis est gladius: Messias est Christus: Clypeus est scutum.

PROBLEMA XXIX.

De Notatione: Homo dicitur ab humo.

QUÆRIT Perionius ex Ramo, cur Homo ab humo potius quàm ab humanitate

tate, qua cætera vincit animantia, dicatur?
 Tu responsionē uno versu confeceris. Quod
 homo deducitur ab humo, id congruere ad
 hominis materiale principium, & veritatem
 Hebraicam. Hebræis enim homo dicitur
 Adam à terra rubri coloris, ex qua corpus
 ejus factum est. Monet nos hæc Etymologia
 de condicione & miseria nostra. Qui nunc
floret homo, cras miser aret humo.

 PROBLEMA XXX.

An locus Definitionis in argumentis primus sit?

Negatur.

PRINCIPATUM loci Definitio obtinere
 nequit; cùm cōpositum sit posterius sim-
 plici. Definitio autē sit *κατὰ τὸ ὅτι μὲν* com-
 positum ex genere & differentia, tanquā sim-
 plicibus elementis; ideoq; definitione ipsa
 prioribus. Contradicit sic Perion. Extremus
 locus Definitioni tributus est rei maximè ne-
 cessariæ, quod ei certè turpe est, qui in omni
 disputatione primū à definitione rei propo-
 sitæ capi velit exordium. Si enim de re nulla
 rectè disputari potest, nisi quid sit illa intelli-
 gatur; quæ (malum) ratio est, ei in locis extre-
 mum dare, quod in primis debet consistere?

Obiectio.
 2. Orat. in Ra-
 mum, quod à
 argumentū
 Definitionis
 à primo loco
 penè in pristi-
 num amam-
 darit.

At, Perioni, rationem jam è monumentis
 Aristotelis petitam audivisti. Tale autem
 est

Solutio.

est tuum argumentum, quale hoc: Res proposita primùm est definienda. Ergo Melancthon non rectè præmisit doctrinam prædicabilium seu simplicium categorematum doctrinæ definitionis: sed ratio persuadere debuit, ut hæc illi præponeretur. O cæcum argumentatorem, quippe qui non distinguat inter Doctrinam definitionis, & definitionem; nec videat hic ἀνακολουθίαν. Primùm definienda est illa res, de qua agitur: ut Dialectica, causa, &c. Ergo Generalis seu communis omnibus rebus doctrina Definitionis in præceptis inventionis Logicæ prima erit. Quo loco qui eam habent, videant quomodo perturbationis & confusionis vitium effugere possint.

PROBLEMA XXXI.

Definitum vel descriptum, an pars sit definitionis vel descriptionis?

Negatur.

CÆLIUS Secundus, & Raymarus Mathematicus, quātum quidem ego intelligo, egregius, definitionis faciunt duas partes: Definitum; & ipsam declarationem ejus rei, quæ ad definiendum est proposita. Verùm id impropriè. Nam definitio est categorema & κατηγορούμενον, Aristotele etiam teste. Definitum verò non est κατηγορήμα ἢ κατηγορούμενον.

ἡ ἀπορρέμενον, prædicabile seu prædicatum; nec
 est prædicati pars; quia subicitur. Pars inest II.
 toti. Definitum non inest definitioni. Si enim
 in hanc ingrediatur, est vitiosa: ut, litera est
 minima pars vocis, ex literis compositæ. De-
 finitum igitur definitionis propriè pars non
 est, ut: nomen non est pars suæ interpretatio-
 nis: distributum non est pars distributionis.
 His adde: Definitum τὸ ἔν & subjecto est to- III.
 ta definitio. Ergo definitum non est pars de-
 finitionis. Antecedens probo: quia qui Ec-
 clipsem dicit, nihil aliud dicit, quàm privatio-
 nem luminis lunæ propter objectionem seu
 interpositionem terræ. Inquies fortasse: De-
 finitio oratio est. Ergo est enuntiatio. Nego
 consecutionem. Propositio enim major quæ
 ommissa est, Quicquid est oratio, est enuncia- Solutio.
 tio, falsa est. Nam orationes tantum integræ
 ac perfectæ sunt enunciationes. Definitio
 autem oratio est imperfecta; cum non con-
 stet nomine, id est, subjecto, & verbo, id est,
 prædicato: quoniam ipsum definitum est
 nomen seu subjectum. Conclúdo itaq; cum
 doctiss. Zabarella, Definitionem ἀπὸ τῶν
 loquendo non esse enuncia-
 tivam.

Definitio nō
 est oratio e-
 nunciativa.
 Lib. 4. de
 Method.

PROBLEMA XXXII.

An una voce constare possit Definitio rei? Item: An Oratio ἰσόκολλος, hoc est, tot vocibus constans, quot exprimitur definitum, sit Rei Definitio?

QUÆSTIONES & ἀποκρίαι hæc non sunt momenti nullius. Primò enim sunt, qui in hac Propositione: Hæc res est zinziber: affirmant definitionem prædicari de definito. Ita sanè definitio, Zinziber, unica vox fuerit. Id verò videtur negandum: quòd omnis definitio necessariò sit oratio. Nam Quælibet definitio constat ex genere & differentia. Genus autem & differentia duabus minimùm vocibus exprimentur. Propositio igitur illa habet prædicationem individui de specie, vel si mavis ita loqui, speciei infimæ de genere.

Deinde sunt qui volunt Definitionem rei semper constare è pluribus vocibus quàm definitum. Verbi causa: Si definitum sit duarum vocum, definitio totidem: negant esse definitionem rei, sed nominis, seu Metallagen, hoc est, mutationem nominis in nomen, ut: fati est loqui: vita æterna est status immutabilis.

Respondeo igitur disertè & perspicuè.

i. Definitio potest una voce fieri, sed quæ sensu non est una, verùm plures: seu intelligitur

igitur κατὰ συμπλοκῆν, cū conflatur ex genere & differentia. Hæc ponuntur vel explicitè duabus saltem vocibus, vel una voce implicitè: ut cū à Johanne peccatum definitur ἀνομία. Hæc enim vox ut composita est, ita potestatem habet duarum, ac significat discrepantiam à norma legis.

2. Definitum etsi duatum sit vocum, seu, ut loquuntur, Complexum: si tamen Incomplexum seu simplex vox intelligatur, definitio constare poterit, etsi duabus tantum vocibus absolvatur, modò ex genus & differentiam notent. Dialecticus enim voces exquisitè non numerat, & sensu vocum magis utitur, quàm vocibus ipsis: deniq; definitiones judicat & meretur pondere potius verborum, quàm numero. Judico itaq; bonas esse has definitiones: Jurisprudencia est ars æqui (bonum enim, quod quidam addunt, sub Æquo contineri demonstrant Jurisconsulti doctissimi.) Philosophia moralis est ars vivendi. Corpus vita præditum, est corpus anima informatum (si peripatericos sequemur, qui omne corpus vivum, animatum faciunt.)

Cic. 4. de finibus.

Objici potest: Aristoteles lib. 2. post. ana. 1. Objectio. 1. lyt. cap. 10. tria facit definitionum genera: Formalem, Materialem, & Compositam ex utraque. Jam verò forma, ut & materia, interdum

terdum una potest voce efferri. Non igitur omnis definitio est oratio.

Respons.

Respon. Est Elenchus à dicto secundum quid. Dialecticus enim non ita per formam definire, seu formalem definitionem constituere dicitur, quod solis formis definiat: sed quia talia, quæ in materia existunt, absq; materia definire possit: ut Metaphysicus & Mathematicus Formas definiunt absq; materia. Sic Dialecticus per passionem animi illam, quæ ira dicitur, definire potest Cupiditatem vindictæ, ubi nulla sit mentio materiæ Physicæ. Sic definitio formalis fuerit: Domus est integumentum prohibens injurias caloris, ventorum, & nubium. Materialis autem definitio dicitur, quæ materiam definitè complectitur, etsi non solam. Quæ ab Aristotele libr. 1. de anima cap. 1. dicitur Physica Definitio, non quod Dialectica non sit; (omnes enim definitiones secundum præcepta Dialecticorum; de ratione definiendi confectæ, sunt Dialecticæ) sed quod res Physicæ definiendæ, à Physicis per materiam definiiri soleant, ut cum dicunt: Ira est fervor sanguinis, vel caloris circa cor. Ita materialis fuerit definitio: Domus est integumentum constructum è lapidibus, lateribus, lignis, & reliquâ materia.

Object.

At inquis, Aristoteles libr. 2. primæ Philo-

los

Ios. cap. 10. vitiosas judicat definitiones, quæ per materiam fiunt.

Respon. Ibi rejicit definitionem, quæ solum continet materiam: Nos autem hîc agere de definitione, quæ materiæ, sed non solum mentionem facit. De tali enim locus ex Analyt. adductus est intelligendus.

PROBLEMA XXXIII.

An Definitio & definitum differant?

Distinguitur.

ARISTOTELES libr. 7. Top. Definitio- Object.
nem & definitum esse ait idem numero.

Videbitur igitur definitio τωτολογῶν & Sophista. Nugax oratio est, in qua idem de eodem dicitur. In definitione idem dicitur de eodem. Est itaq; definitio oratio nugax.

Resp. Et si Definitio & definitum sunt subiecto unum: non sunt tamen unum λόγῳ, id est, ratione, modo cognitionis, & χέσει notioris & ignotioris. Definitio quæ explicatio est essentiæ rei, est idem cum definito. Sed quatenus ut κατηγορούμενον consideratur, seu prædicatum, quod de definito dicitur, quodammodo diversa est à definito, quia hoc est notior. Definitum significat rem confusè & implicite. Definitio autem significat rem dividendo in singulas partes, quibus res evoluta explicite intelligitur. Itaq; non est Tau-

Responf.
Oratio explicans essentiæ rei & id quod explicatur, ratione differunt, & respectu quodam.

Definitio & definitum eandem rem significant: sed non eodem modo.

tologia Sophistica, dicere hominem esse animal rationale, ac si diceretur: homo est homo. Urges, Nomina rectè & φύσις instituta, verè exprimunt seu repræsentant ipsam rei naturam, ut Jehova divinam essentiam. Ergo nomina sunt ipsa rei definitio.

Respon. ad anteced. Prima quidem nomina ab Adamo primo ὀνομαδέτη, efficacissima ἀληθείας vi instituta, veram rei naturam repræsentârunt: ideoq; fuerunt veræ rerum definitiones. Sed nunc peccati tenebris ut obscurata est rerum cognitio, sic & primorum verborum ratio est planè interturbata, & vis eorum interior nos fugit. Itaq; in hac naturæ depravatione nomen non est ipsa rei definitio.

PROBLEMA XXXIV.

*An sit unius rei una tantùm definitio essentialis,
seu propria & perfecta?*

Distinguitur.

Plat in Epist.
ad Dionis fratres.

REGULA κατὰ πάντας, παρρηγήματα εἰς ἀμετακίνητον ἴδονται, in stabilitate immutabili collocantur. Tale præceptum an hoc sit, quæritur: Unius rei non possunt esse plures una definitiones ὑπόψεις: ὑποθέσεις (quo & τυποεῖς & ἐπιπολαῖαι seu superficialia: descriptiones referuntur) possunt. Affirmationem

Plat. in Soph.

mationem suadet hoc : Una est rei natura : Unum est rei proximum genus, & una tantum differentia specifica seu ultima, quæ rem perficit. Ergo unus est λόγος ὑσίας, seu definitio essentialis rei.

At res, inquis, potest definiri per ἰδιότη-^{Objecti} τας seu proprietates: Hæ autem possunt unius rei esse plures: ut hominis, περιουκός ad numerandum, γλαστικόν, δεκτικόν ὀπισίμης. Ergo^{Responsi} Zabarellæ verbis respondeo per distinctionem ad propositionem. Propria in definitionibus sumuntur aut pro se ipsis, aut pro differentia seu forma ignota. Si hoc: potest quidē res per diversas proprietates diversimodè definiri, sed illæ definitiones non sunt dicendæ plures (intellige sententiã: verbis enim plures sunt) sed una eademque, quia una est differentia ignota, pro qua omnes sumuntur, & quæ per omnes illas significatur. Sin illud, id est, si sumantur ut proprietates, ex iis non fit essentialis definitio, sed descriptio: vel certè non essentialis simpliciter, (quæ propriè essentiam rei declarat) sed quodammodo. Descriptiones igitur, & quadantenus ac ex parte essentielles definitiones unius rei possunt esse plures.

PROBLEMA XXXV.

*An Subiectum possit esse Genus in Definitione
perfecta?*

Negatur.

TRADITUR Canon in Schol. Peripatet. qui ad rationis trutinam vocandus est. Cavendum est, ne in definitione adhibeatur loco generis subiectum. Nec Canon hic est *ἄσολος* aut abnormis. Genere enim dicitur quid sit res, quamvis imperfectè. Subiecto verò non. Subiectum igitur non est genus. Febris igitur subiectum cum sit calor, non definienda est sic: Febris est calor naturalis mutatus in igneum. Subiectum peccati est essentia seu natura. Subiectum vulneris aliqua pars corporis. Non igitur defines Vulnus partem corporis dilaceratam: Peccatum originis essentiam seu naturam hominis corruptam. Sed quia Dialectici est, esse cum *μεγαλικόν* tum *ευσλικόν*; dico aliquando fieri, ut quod subiectum est, idem etiam sit genus; ut in his exemplis: (Nix est aqua congelata seu concreta: Lutum est terra humore temperata: Sermo est vox articulata) aqua, terra, vox, est & subiectum & genus nivi, luti, sermonis. Respondeo 1. Distinguedæ sunt minus accuratæ definitiones ab accuratis. Præceptum propositum de accuratis & perfectis definitionibus accipiendum est.

2. Aqua

2. Aqua, terra, vox, non est propriè nivis, luti, sermonis subjectū, sed materia ex qua: Subjectum verò *παδών* & mutationum suarum, quas sustinet ac patitur: subjectum item formæ nivis, formæ luti, formæ sermonis.

Aqua est materia nivis, ut compositi. Et est subjectū formæ nivis, & levis cuiusdā mutationis, quæ ad formam nivis tendit.

PROBLEMA XXXVI.

An in Animalis descriptione redundet Mortale?

Distinguitur.

IN descriptione hominis additur à Platone, Mortale: id castigandum videtur. Homo enim cum Idea sit, quæ Platoni est *αὐτότουνδρώπου*, mortalis non est: Quia ideæ sunt extra omnem conditionem contradictionis; sunt perpetuæ, non caduæ: auctore eodem. Homo igitur mortalitate definiri non debet. Et Plato non videtur sibi constare, docens, Ideas esse immortales, seu interitus expertes: & tamen describens hominem mortalitate. Quare ut constet sibi Plato, Mortale è descriptione tollendum. Resp. In defensionem Platonicæ descriptionis in objectione allata esse errorem *παρὰ τὸ ἐπιμένον*, & à non causâ tanquam causâ. Ut enim non sequitur: Ideæ sunt perpetuæ. Ergo in definitione Animæ hominis, quæ Idea est, immortale redundat. Rectè enim additur; ut humanus animus à brutorum animo distinguatur: Ita est *ἀναχώρητον*. Ideæ non sunt subjectæ corruptioni:

Object.
Aristot. lib. 6.
Top. cap. 3.

Respons.

Ergo Mortale non potest esse pars descriptionis hominis, sed hujus hominis. Præterea definitionis *ἁπλοῦς*, id est, universalis alicujus veritas debet apparere in subjectis speciebus. Sic definitionis hominis partes debent congruere, & revera attribui singularibus hominibus, quorum communis natura est Homo. Jam verò mortalitas convenit Socrati, Platoni, &c. & immortalitas, seu *ἀνώλεθρον*, non convenit subjectis speciebus, homini & bestię. Mortale igitur in definitione hominis poni potest. Immortale verò in hominis aut bestię definitione neq; poni neq; intelligi potest. Nam, ut cū Platone loquar, etsi Idea non *ἀγνοῖται*, sed constanter permanet: tamen individuorum possunt esse vicissitudines variæ & mutationes. Sic hæc propositio quidem: Rosa est flos; immutabiliter vera est, etsi hæc rosa pereat. Rejecta igitur falsa causa reprehensionis afferro veram, nimirum quòd redundet Mortale, quia in voce, Animal, comprehensum est; & homo, non qua homo, sed qua animal, mortalis est. Verùm & Platonici & Peripatetici hic objiciant: In Animali non contineri Mortale; quòd alia animalia sint mortalia, alia immortalia, ut Dii. Porphyr. de different. cap. 3. & Aristot. libr. 4. Top. cap. 2. Respon. Philosophos veteres abuti vocabulo animalis de Deo.

Deo. Sic Plato tropico dicendi genere In Timæo.
 cœlum vocat animal; Dæmonas animalia;
 quòd acceperint vim & virtutem quandam
 internam, similem animæ in propriè dictis
 animantibus. Idem *αὐτοζῶν* nomen tribuit Deus Platoni
 ipsum ani-
 mal.
 Deo, qui ipsa vita est, & omnis vitæ causa.
 Sed *ἀκωελογίας* non est *διδακτέον*, assentiente
 Aristotele: & Deus ab animalibus longè est
 discernendus.

PROBLEMA XXXVII.

*An Definitiones ex merè negantibus sint
 vitiosæ?*

Affirmatur.

ARISTOTELES in Topicis definitiones 6. Top cap. 2.
 negativas reprehendit; & re&e quidem.
 Eæ enim non quid res sit, sed quid non
 sit, dicunt: non docent, sed dedocent. Vitiosæ
 igitur sunt definitiones: Accidens est, quod
 neq; est genus, neq; species, neq; differentia,
 neq; proprium. Materia prima neq; est ignis,
 neq; aër, neq; aqua, neq; terra. Bonum est,
 quod nō est malum. Sūntne ergo, inquis, vi-
 tiosæ tales descriptiones? Materia prima non
 est elementum, sed subjectum primum, &c.
 Cōmunicatio idiomatū nō est effusio, trans-
 fusio, confusio: sed, &c. Peccatum originis
 non est substantia, sed defectus, &c. Respon.
 Tales

Tales descriptiones Oratoriæ sunt seu amplificatæ, ac dicuntur Græcis ἀντιπαράλληλοι, & δι' ἐναντιώσεως: nec in vitio ponuntur, quia non constitutæ sunt è puris negantibus. Interpretes Aristotelis excipiunt duo rerum genera, in quibus tolerabiles, & propemodum necessarias esse volunt definitiones negativas: videlicet primùm in rebus perfectissimis; cuiusmodi est Deus, qui propter excellentiam perfectionis meliùs à nobis cognoscatur negatione, quàm affirmatione. Deinde in rebus imperfectissimis; qualis est materia prima, cuius natura aptè declaretur remotione omnium perfectionum ab ea. Sed ego respondeo: Neq; Deum, neq; materiam primam meris negationibus describi. Et si enim negationes sunt, cùm dico: Deum esse immortalem, infinitum, incorporeum, invisibilem: affirmationes tamen sunt, Deum esse essentiam spiritualem, æternam, omnipotentem, optimam. Et quamvis sint negationes: Materiam primam esse ingenerabilem, incorruptibilem, inconspicabilem, non corpus, seu ἄτομόν: affirmationes tamen sunt: Materiam primam esse πάσης φύσεως, (id est, πάντων γινομένων) ὑποδοχὴν, καὶ πηδύνην: hoc est, omnium rerum, quæ existunt, receptaculum & nutricem: esse πανδεχὲς, id est, omnia excipere, Sed, inquit Aristoteles, excipiendo:

In

In quibusdam definiendis adhibenda est negatio necessariò ; cujus generis sunt privationes. Cæcum enim est id, quod aspectum non habet, tùm, cùm ei est aptus natura. Respondeo: Necessitatem quidem carere, vel potiùs solutam esse lege: ut, si affirmatæ voces haberi nequeant, necessariò utendum sit negatis. Sed ut privationes non sunt merè seu absolutè negationes ; sic definitiones harum non constant è puris & simplicibus negationibus, hoc est, merè negantibus vocibus: ut, in definitione cæci affirmatum est, aspectum esse aptum natura aliquo tempore certo subiecto, ut animali. Porro necessitatem istam negationis prætexit etiam Proclus Mathematicus, cùm dicit: Necesse est principia negatione definiri. Itaq; defendit hanc: Punctum est, cujus pars nulla est, seu quod habet nullam magnitudinem. Sed ego ajo, Procli pronunciatum non esse necessarium. Unitas enim & punctum, cùm principia sint, affirmatione tamen definiri possunt. Nam illa ab Euclide definitur $\chi\alpha\delta' \omega\sigma\tau\epsilon\sigma\tau\omega\upsilon\tau\omega\upsilon\epsilon\upsilon\lambda\epsilon\iota\theta\epsilon\upsilon$, id est, secundum quam unaquæq; res dicitur una. Hoc verò ab Herone definitur terminus seu limes lineæ. Et Unitas est initium numeri seu multitudinis. Punctum est principium magnitudinis. Hæc autem affirmatæ sunt, & in definitionem ingredi possunt.

PROBLEMATUM
PROBLEMA XXXVIII.

*Utrum oratio seu definitum notius sit definitione
an definitio definito.*

Distinguitur.

s. Top. cap. 1.

Object.

Solutio.

Definitio totum in partes suas distinguit.

ARISTOTELES rectè præcipit in Top. Definitionem fieri debere ex notioribus, & planioribus. Sed Physicorum c. 1. Nomina rerum, hoc est, definita videtur dicere notiora suis definitionibus: ut nomen circuli, animalis; definitione circuli, animalis. Huc igitur arcessenda est distinctio Notitiæ, in confusam & distinctam. Definitio bona notior est definito, notitiâ distinctâ; cum partes nominis seu definiti, ut totius, explicitè distinctèq; significet. Nomen verò est notius definitione, notitiâ confusâ: quia totum simul & implicitè, non distinctè & particulatim significat. Estq; nomen seu definitum, totum quoddam confusè; Definitio totum quoddam distinctè.

PROBLEMA XXXIX.

*An definitionis pars sit definitum? & an definitio sit
integra oratio, seu enunciatio?*

Negatur.

NON desunt qui affirmant, sed non obfirmant. Rationes nostræ negationis hæ sunt: 1. Res definienda, id est, nomen rei
def.

definiendæ non est pars explicationis rei. Definitum est id quod definiendum est, seu est appellatio rei definiendæ. Ergo definitum nō est pars explicationis rei; & ex consequenti non est pars definitionis; cū definitio sit ipsa rei explicatio. 2. Relatè oppositum non est pars sui correlati: ut signum non est pars rei significatæ. Definitio & definitum sunt relate opposita. Ergo definitum non est pars definitionis. Ex quo sponte sequuntur hæc duo *πρῶτα*: 1. Impropiè (per synecdochen catachresticam) nomen, & ejus explicationem simul dici definitionem, (ut impropiè seu *τεσπικῶς* Sacramentum (id est, Sacramentale signum) & res Sacramenti, seu, ut ita dicam. Sacramentatum dicitur Sacramētum.) 2. Definitionem, propriè loquendo, non esse enunciationem, sed tantū prædicatum enunciationis.

Opposita nō
sunt in op-
positis.

Definitum
& definitio,
simul faciūs
enunciatio-
nem.

PROBLEMA XL.

An omnis definitio sit è notioribus & prioribus?

OMNIS definitio constituitur per notiora. Nam per ignotiora definire est τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖσθαι ἢ λαμβάνειν, principiū petere vel sumere, ideoq; uti sophistica. Et Aristoteles in Topicis docet: Definitionem non esse, quæ non sit ἐκ τῶν προτέρων, id est, è prioribus & cla-

& clarioribus, quàm est ipsum definitum: Hoc scilicet obscurius & confusum quiddam est respectu definitionis. Hic si quis contra-
 veniat, quòd multæ sint definitiones collectæ ex coacervatione accidentium, quæ sanè sunt
 ipsis substantiis posteriora: Respondemus primò: tales definitiones non esse maximè propriè definitiones, sed descriptiones: Et
 definiri ex notioribus natura ἀκριβώς: Ex notioribus nobis, minùs exactè. Meliùs autem esse definire per notiora naturâ, id est, secundum intellectum, quàm per ea, quæ nobis id est, secundum sensum tantum sunt notiora. Ex his secundò respondemus; Posteriora illa, per quæ res aperitur ac explicatur, etiam esse priora. Sunt enim priora quàm definitum seu nomen, secundum sensum; seu sunt priora, quia sunt ἡμῖν nobis (scilicet, quatenus ministerio sensuum utimur) notiora. Sunt verò posteriora, respectu eorum, quæ notiora sunt ἀπλῶς seu τῇ φύσει omnino, absolute, naturâ, hoc est, rationi. Sed tamen, inquit Aristoteles, illud ignorare non debemus; quæ aliter definiri non possunt, quàm ex æquè notis: Cujus generis est duplum, quod sine simplo definiri non potest: Item quæ omnia quæ per se cum aliquo conferuntur. Nam cum eorum omniū vis & natura idem valeat, quod ad aliquid quodammodo affectum

Object.

Solutio.

@. Top. et. 2.

Relatum necessariò definitur per eor
 relatum æquè notum.

Etiam

etum esse; profectò utrunque sine altero cognosci nequit, ut necesse sit, alterum in definitione alterius contineri. Hæc Aristoteles: quibus nos addendum putamus hoc: Etsi relatorum alterum altero nō sit notius & prius natura; in eorum tamen definitionibus genus seu materiale notius & prius est definito: ut in definitione limitis Lapis (unde materialem habet substantiam limes, ut in correlato habet essentiam formalem) notius quid est, quàm definitum, limes. Nam quòd differentia ordinis est inter relata, seu alterum altero est prius ordine, id non videtur huc pertinere.

PROBLEMA XLI.

Aváλασις ad questionem: An omnis Definitio rei constet minimùm vocibus duabus?

Affirmo.

ACCIPIO hinc definitionem propriè, & usitatiùs pro ea solùm oratione, quæ de definito prædicatur conversim; non pro tota enunciatione, in qua etiam continetur definitum, (quale est totum hoc: Homo est animal rationale) quo posteriore modo aliquando Aristoteles per synecdochen utitur in *Anal.* 2. poster. 3.^o *analyt.* ut cum ait: Omnem definitionem esse universalem propos. De propriè igitur dicta definitione quæsitum est: An nulla rei definitio sit simplex prædicatum, seu una ab-

Gg solva;

Nulla definitio rei est simplex categoria.

solvatur voce? Responsum est: Omnem definitionem rei duabus minimùm vocibus constare. Ratio manifesta est: quia altera vox in mente gignit conceptum convenientiæ seu communitatis rei cum altera re (ut; per Animal convenit homini cum bestia;) altera verò voce formatur conceptus differentiæ, id est, quo res ab aliis distinguitur (ut, per Rationale differt homo à bestia.) Omnis itaq; definitio rei est oratio. Objecto contra hanc asseverationem prima parte satisfactum est. Sed urgeas adhuc forsan premasque hac *synt.* Cum dico: Hæc res est Zinziber; Hæc res definitum est Melanchthoni: zinziber definitio. Zinziber autem una vox est. Quædam igitur definitio una vox est. Respon. ad assumptionem. Cum dico: Hæc res est zinziber, Zinziber est definitio seu descriptio, non quidem explicitè, sed implicitè involutèq; & quatenus, cum sensus percipit aliquid rei inesse, (ut calefacere ventriculum) postea mens colligit & componit. Quo modo etiam si herba Centauriû proferatur, ut subjectam oculis intueri possis, habes rei definitionem illustrem. Ita enim verba hæc Melanchthonis accipio: Zinziber sensu apprehensum cognitumque, & hinc ad mentem componentem deductum, est definitio *Rei hujus*. Per se igitur potestate definitio est, non actu. Inquis:

Object.
In doct. de
Syll. expos.

Zinziber definitio est
HUIUS REI
non simpliciter, sed
acti.

quis: Vocatur aliquando definitio ab Aristotele proprium. Hoc verò sæpe constat una voce. Respon. Aristoteles non intelligit proprium simplex, quod quartum constituitur vulgo prædicabile, sed proprium complexū.

PROBLEMA XLII.

An Definitionis rei genus sit Oratio?

Distinguo.

CUM jam constet: Omnem rei definitionem esse prædicatum compositum, seu orationem, quæ unum significat: in con-
tentionem venit, an rō Oratio genus sit proprium definitionis. Ego statuo genus metonymicum, si oratio pronunciata intelligatur. Definitio est oratio, id est, est argumentum, inventum, ratio, notio, quæ externa oratione exprimitur & significatur. Metonymia hæc adjuncti est signi pro subiecta re significata. Sententiæ meæ hæc est ratio: Ut intus, secum, in seipso, ad sese, pro semet, potest homo syllogismum facere, teste Scaligero: Ita interiore mentis operatione facit definitionem. Et ut non ab externis necessariò, sed ab internis actibus virtus generatur; externi actus tantum indicant & ostendunt virtutem; sic externa oratio non facit definitionem,

sed factam (quæ sententia mentis est) ostendit. Adde, quòd λόγος εἰδικὸς καὶ ἐσιώδης, ratio specifica & essentialis, est Aristotelis interpretibus λόγος τῆς πρὸς τὴν οὐσίαν est ratio essentialis interpresibus, seu ratio quid est esse significans.

4. cap. 1. Top.
4 c. 4. Phil.
3. cap. 2. Phys.

Ab Aristotele autem ita dicitur tum forma, tum definitio. Definitioni igitur rectius tribuitur generis loco Ratio, quàm Oratio; vel certè cum dicitur: Definitio est oratio, propriè interna (quæ barbaris mentalis est) oratio intelligenda est.

PROBLEMA XLIII.

An verum sit dictum: Notitia intuitiva est definitio?
Distinguitur.

SI herba quæpiam proferatur, ut subjectam oculis intueri possis: Jam habes rei definitionem illustrem. Vetus enim dictum est, & dignum memoria: Omnis notitia intuitiva est definitio, ait Melanchthon. Ergo inquit aliquis: Definitum ipsum est definitio. Respondeo primò: Non quidem ipsum definitum, ut Centaurium, sed notitia intuitiva, seu potius sensitiva, quæ cum iudicio fit, non ut bos aspicit novam pottam, est definitio. 2. Imò illatio illa sine incommodo dari potest. Differunt enim Definitio & definitum, ut alibi dixi, tantum λόγος & modo cognoscens.

scendi; cùm definitio subjiciat distinctè intellectui, quod definitum proponit confusè. Realiter igitur unum sunt. 3. Si Centaurium sensu percipias, jam habes rei illustrem definitionem, hoc est, descriptionem, potentia quidem, sed non actu. Potes enim per accidentia & effecta describere, & aliis declarare.

PROBLEMA XLIV.

An in Definitione vocabula adhibenda sint idem significantia?

Distinguitur.

AVERROES vult, synonyma verba non adhibenda in doctrina demonstrativa.

In definitione itaq; iis locus esse nequit.

Adhibenda tamè mihi videtur distinctio; licere uti synonymis in definitione, si declarent, & perspicuitati serviant: sin minus (ut, si otiosa sint) non licere; & committi Elenchum redundantia. Aristoteli sanè Natura definitur principium seu causa motus & quietis. Melanchthoni Dialectica ars seu via docendi: ubi per viam *τέρον*, modum, rationem seu methodum intelligit; quòd hæc metaphora Latinis sit usurpatissima. Sed, inquis, quia Artis vox satis significans est, omitti poterat vox Via. Fateor id quidem lubens: Et tamen, quia per τὸ Via, doctrina methodica, seu cer-

ta ratio agendi intelligitur, artis naturam declarat.

PROBLEMA XLV.

An unius rei possint esse perfectæ seu essentialis definitiones plures?

Distinguitur.

SIVE definitio constet ex genere & differentia essentiali (non externa & adventitia) sive ex materia & forma; essentialis, propria accurataq; est. Genus enim materiã, forma differentiam illam præcipuè respicit symbolicè & εἰρηματικῶς. Et materia ac forma componunt & constituunt essentiam φυσικῶς & re ipsa. Genus verò & differentia νοητικῶς, λογικῶς seu metaphysicè, & ratione tantum. Exempli causa: Definitio est essentialis, si hominem dixerò esse, quod constat è corpore atq; anima, vitæ, sensus, rationis compote: seu esse corpus, anima, vitæ, sensus, rationis compote, informatum. Ubi Corpus hominis materia est physica & realis: Anima, forma. Est & definitio essentialis, si hominem definiris animal rationale: ubi Animal hominis materia est metaphysica seu logica, & ratione perceptibilis: Rationale, forma. Sed obijci potest, quod Aristoteles docet: unius rei unam duntaxat esse definitionem

nem essentialem. Huic faciliè resistes, si dixeris: *Respons.* Duas illas definitiones re effectivè; unam esse, cum unam essentiam per essentialia declarant: solo explicandi modo diversas esse; cum altera explicatio fiat logicè, seu logicis symbolis internarum causarum: altera physicè seu naturaliter, per partes & causas naturam rei constituentes.

PROBLEMA XLVI.

An definitiones sint essentielles, quæ generi & differentia specificæ adjungunt proprietatem vel causas externas?

ACRIS mihi aliquando fuit dimicatio de hac quæstione cum quodam rerum Logicarum studioso. Is definitiones constantes ex omnibus causis, vel generi & differentia propriæ adjungentes adjuncta, effecta, objecta, &c. descriptiones nominabat. Ex quo cum quærerem definitionem Descriptionis, & responderetur, eam esse imperfectam definitionem: statim depulsus est à tua sententia. Quomodo enim imperfectum sit, quomodo non essentialis sit, quod constat è causis naturam rei constituentibus, quæ genere & forma comprehenduntur? quod constat partibus conversim essentiam definiti significantibus; etsi quædam adjiciantur, quæ nullam

essentiæ partem significant? quod constat ex omnibus rei principiis, efficiente, materia, forma, sine? Etsi enim finis & efficiens non sunt causæ rem constituentes, id est, etsi non sunt partes rei: tamen sine illis res procreari, seu essentia rei esse nequit. Hujusmodi igitur definitiones sunt perfectæ seu essentielles; & ita dicuntur, quod à principaliori fiat nuncupatio. Si quis tamen eas, quæ constant è causis internis, & præterea proprietate, vel accidente aliquo, mixtas appellare malit, seu dicere, esse partim definitiones, partim descriptiones, hoc est, ex parte essentielles, ex parte accidentales, cum eo non litigabo. Sed hinc monedi sunt studiosi harum disputationum, non necesse esse, si genus & differentiam habeas, adjungere præterea proprietatem vel accidens aliquod communi definitioni. Hæc enim jam habet, quæ ad essentiam rei pertinent. Itaq; tales definitiones ab Aristotele in Topicis non probantur: Homo est animal rationale, mortale, naturâ mansuetum, loquens, scientiæ capax: Jurisprudencia est ars boni & æqui, in politia maximè necessaria. Secus judico de ἀπώδει ea, quæ recitat omnes ejus quod definitur proximas causas; hoc est, ei redundantia vitium non est tribuendum. Sed unde egressi esse videmur, eò nos referamus. Definitio, inquis, perfecta,

ablo

Redundan-
tia vitium,

Object.

absolutaꝫ; , quæ cōmuni generis nomine definitio dicitur (κατ' ἐξοχὴν) est definitio cōstans è solis caussis essentiam cōstituentibus. Definitiones ex omnibus caussis , itē ex genere & forma cum aliqua proprietate vel accidente, non sunt conflatae è solis caussis essentiam constituentibus. Ergo tales definitiones non sunt perfectæ & essentielles. Resp. ad propos. majorem: E solis caussis essentiam constituentibus , constant non quidem semper actu, (interdum enim accedit aliquid) sed potentia. Possunt enim sufficere causæ illæ , cūm eis positis nihil desit definitioni. Verba autem in definitionibus sæpe potentiam, non actum significant, ait Melanchthon. D. Piscator ad propositionem eandem responderit per inficiationem , judicans particulam Solis in definitione Definitionis perfectæ redundare. Itaq; perfectam esse hanc quoq; definitionem , quæ non solūm è caussis rei internæ, sed etiam ex aliis argumentis definit.

PROBLEMA XLVII.

Potestne forma specifica fieri genus?

Affirmatur.

MEDIOCRITAS seu μεσότης Aristoteli in Ethicis cap. 6. libr. 2. est forma virtutis. Eadem est fortitudinis genus , & velut materia communis fortitudini cum cæteris

virtutibus; cum eam Aristoteles definit μεσότητι κατὰ φόβου καὶ δόξης, id est, mediocritatem in formidine & fiducia: ubi differentię locum tenet objectū φόβου καὶ δόξης. Unde conficitur formam Generis alicujus propriam posse fieri genus seu formam communem specierum. Zabarellę quidem Philosopho valde acuto placet, in definitione accidentis, exempli causa, Tonitru, genus formę locum tenere; proprium autem subjectum esse loco materię, & in definitione pro differentia summi; ut in definitione hac, quanquam imperfecta: tonitru est sonus in nube: sonus illi genus est, & forma; nubes autem est subjecta materia, quę tanquam differentia sumatur, separans tonitru ab aliis sonis. Ita in hac: proprię dicta Eclipsis, est privatio luminis Lunę: eidem privatio, Genus, est forma; lumen verò Lunę, quod materia externa est, in qua inhaeret accidens, id est, subjectum, est loco materię verę, id est, internę, ex qua res constat, qualis est in substantiis. Sed expeditius mihi videtur, si doceatur: ut in substantiis, sic quoque in accidentibus genus habere locum materię: differentiam verò formę. Quanquam Zabarellę sententia non pugnat nobiscum, si intelligatur, Accidentis genus locum tenere formę, scilicet communis seu generalis, quę re à genere hic non differt.

Sonus

Sonus est forma tonitru, scilicet generica; id est genus, seu velut materia cum parte forme. In nube verò, &c. est reliqua formæ pars. Sed ut ad mediocritatem, quæ virtutem perficit, redeam, quærit ex Aristotele nunquam satis mihi laudatus Tempellus: Si mediocritas sit forma virtutis, cur de virtute tanquam genus enuncietur? Resp. Et si Aristoteles mediocritatem genus virtutis non faciat; tamen de virtute mediocritatem enunciare rectè potest. Ecceur? Quia Aristoteli forma est præcipua definitionis pars, & tota quodammodo definitio. Maximè enim forma quid sit res, imò, ut placet Crellio Philosopho non jejuno, totam rei definitæ essentiam declarat. Nec desunt exempla, ubi forma de formato, omisso genere, prædicatur. Et mollis est locutio, virtus est mediocritas: quia abstractum de abstracto prædicatur. Duriuscula esse videtur hæc Platonis: Homo est anima. Sed Synecdochen hinc agnoscimus.

Sic dicitur
Homo est
pulvis & terra : materia
de materia-
to, per synec.

PROBLEMA XLVIII.

An Irrationale sit differentia bestię?

Distinguitur.

CUM bestia dicitur irrationalis, non puto Irrationale esse privationem; cum bestia naturâ non sit capax rationis: sed
simpli-

simplicem negationem, ut sit non rationale, quemadmodum Incorporeum est non corporeum. *Ἀδύατον* est autem *τὸ σέσησιν εἶναι* διαφορῶν, teste Aristotele 1. de partib. quia *σέσησις* non est verus habitus, seu res positiva. Quælibet autē vera differentia est ens positivum; alioqui non constitueret speciem. Si ergo privatio propriè differentia seu forma non est; multò minus absoluta negatiō propriè erit differentia. Etsi autem Soncinās dicat: Incorporeum & irrationale dicere rem positivam cum privatione conjunctam; eo tamen nihil movemur. Nam quis negatum dixerit esse affirmatum? quis incorporeum privationem esse in Deo dixerit? Irrationale tamen vice seu loco rei positivæ seu affirmatæ & veræ differentię constitutivē usurpari, non eo inficias.

PROBLEMA XLIX.

An Nomen proprium, quod Grammatici dicunt, sit ipsum Individuum in Logica?

Negatur.

VERITAS copiam, splendorem & ornatum verborum non desiderat magno-perè: quippe quæ suo ipsa robore, suis nervis, suis viribus nitatur. Quare simplicissime & brevissimè respondeo: Individuum
non

non esse propriè ipsum nomē proprium, sed rem significatam nomine proprio; seu appellationem ipsam non esse Individuum, sed ejus tantùm σηματικόν. Quid enim, si res esset ἀνώ-
 νυμῳ? nihilominus sanè esset individua. Cùm dico, Johannes moritur: subjecto res una, quæ re vera individua est, significatur nomine proprio. Hunc igitur hominem vocari Johannem, est ejus (hujus hominis) accidens. Posset enim vocari Petrus. Cur igitur Johannes à Dialecticis dicitur Individuum? Quia nomina sunt tesserae, notæ & symbola rerum, id est, nominibus res ipsæ notantur & significantur: (quo fit, ut nomen pro re ipsa per metonymiam interdum accipiatur) & Dialecticus potiùs sensum quàm verba spectat.

 PROBLEMA L.

An idem numero accidens, in diversis possit esse subjectis?

Concluditur negatè.

AD rationis trutinam Maximam revoco aut utilissimam, sic consideratione dignissimam. Unum & idem numero seu individuo accidens, in diversis subjectis esse nequit. Ratio seu firmamentum affirmationis hoc est: Accidentia non existunt per se. Non igitur etiam per se numerantur: sed juxta numerum subjectorum discernuntur.

Distin-

Distincta subjecta sunt aqua & ferrum. Calor igitur, qui est in aqua, non est idem numero cum illo, qui est in ferro: & qui in ferro est, non est idem numero cum illo, quo afficitur lignum. Lux candelæ accensa non est eadem numero cum luce, unde accenditur. Nec idem numero morbus ex uno in alium transplantatur: ut pestis, quæ cōtagione contrahitur & transfunditur, non est eadem numero in duobus corporibus; sed eadem specie, ut loquuntur. Species optica, ut imago tua, in fragminibus speculi pluribus non est eadem numero. Sed rationes negationis generalis veritatis hæc esse possunt: Mea docentis vox cū numero una & eadem sit: tamen in pluribus est subjectis. Nam eam omnes auditores mei eodem tempore & simul percipiunt. Unus & idem numero homo cū videtur, est in multis oculis ut subjectis. Eadem numero lux simul & eodem tempore in multis est locis, atq; uno momento Sole oriente universum hæmisphærium collustrat. Eadem lux numero extra vitrum illustrat vitrū, & intra domū illuminat domum.

I.

Vna vox est in multis auribus, ut subjectis.

II.

III.

VIII.

Una & eadem numero imago Solis in diversis simul est locis, ut in utraq; parte ripæ & in medio fluvii. Diversa autem loca, sunt diversa subjecta. Ergo non est *ut æt* verum propositum axioma. Respondetur verè, rationes hæc

has esse αἰτήματα, non verò demonstrabiles hypothesés, seu ἐπιπέσεις has esse nullas. Primum enim non una est numero vox, quam omnes percipiunt auditores, etsi sit unius numero hominis: sed tot sunt numero soni & voces, quot sunt auditores; specie tantùm eadem. Nam sonus fit ex motu fracti aëris, & per ipsum multiplicatur hac ferè ratione: Si jactas lapidem in flumen, frangitur eo ictu aqua. Hæc fracta impellit circumstantem aquam, & in ea oritur figura circuli. Pars illa identidem proximam sibi ferit. Unde major emergit circulus, qui similiter agit aquam posteriorem, & ibi ampliorem efficit circulum. Ac ita multiplicatio circulorum continuatur, quoad vis percutientis primi in ictibus conservatur. Si igitur figuræ circulorum multiplicantur, seu multæ sunt numero, non una; cui dubium esse potest, etiam fonos & voces, circulis in hærentes, esse numero multas? quod ex eo etiam apparet, quòd sonus per moras temporum tendi & dividi potest. Secundò: Quot sunt oculi videntes Petrum, tot etiam numero sunt simulacra & imagines Petri refulgentes in oculis (corpus non est in εἰσόπησιν, sed imago ejus.) Unius numero hominis una forma ac specie est imago in multis oculis, sed multæ numero; ut multæ sunt pyramides.

Responso
Physica &
Optica, cum
distinctione
ταύτης.
Animi con-
ceptus nō est
idē numero
in multis au-
ditoribus:
licet sit idem
ὁμοίωμα.

Sic

Sic unius numero Iridis seu arcus cœlestis imago una specie ; non est una numero in mille oculis simul intuentibus. Nam & alii aliam , non omnibus eandem iridem apparere demonstrant Optici: & accidere potest, ut, quam quidam vident iridem , ea aliis quibusdam sit halo. Si Sol meridiem teneat, & vapor toridus sub sole sit positus: fieri potest, ut Septentrionaliores halonem, meridionaliores Iridem videant. Deinde non est eadem numero seu individuo lux, quæ illuminat aërem Orientis, cum illa, quæ afficit aërem Occidentis. Lux interna, ut quæ domum intus illuminat, non est eadem numero cum externa, quæ in horto cernitur, aut extra vitrum sita est: quamvis ejusdem sint formæ, ut aër aëquilonaris est diversus ab australi, & aër domus est distinctus & divisus ab aëre horti *κατὰ ἀριθμὸν*; etsi τῶ εἶδη unus sit. Et ut in pareliis (verbi causa, cum tres Soles apparent) non est unum numero Idolium Solis: Sic non est una Solis imago, quæ in multis & distantibus aquæ partibus refulgere cernitur. Nam multiplicantur à corpore solari imagines, & per aërem, licet ibi non conspiciantur, & in aqua, ubi videntur. Cùm igitur imago Solis in variis fluvii partibus non habeat idem subiectum; ut nec vox mea ad audientes emissa, nec lux à Sole diffusa; universali veritati *propositi*

Digna hic est nota regu-
la Opt. Rei
aspectabilis
innumera-
biles species
Sphæricè in
omnem par-
tem radiant.

positi canonis adhuc nihil est derogatum. Atq; hæc dicta sunt de proposito Pronunciato, è quibus distinctio τῶν ἑξ ἑατέρας, id est, ejusdem & alterius melius intelligitur.

PROBLEMA LI.

An Testimonium sit argumentum? an aliquid arguat?

SI testimonium nihil argueret, argumentum non esset. Nunc argumentum est: perspicuum enim & planum facit. Etsi autem nihil ex sese arguat; tamen argumenti definitio & natura ei detrahi non potest: ut, corpus humanum vivum est, etsi ex se vitam non habeat. Ut igitur non valet: corpus ex sese non vivit; sed ab anima. Ergo nihil habet vitæ. Ita non valet: Testimonium ex sese nihil probat. Ergo non est argumentum. Est enim Elenchus à dicto secundum quid ad dictum simpliciter: Objici hinc potest: Quod Socrates Polum admonet, Veritatem in disputando, non ex teste aliquo, sed ex argumento esse ponderandam. Testis hinc & argumentum opponuntur. Non itaq; testis seu testimonium ejus, argumentum est. Sed respondendum, interdum κατ' ἔοχον usurpari vocem argumenti pro ratione seu argumento artificiali, quod fundamentum fidei est testimonii. Sic & rationis vox sæpe auctoritati opponitur;

In Protag.
Plat.

l. de Natur.
Deor.

ut cum dicitur: Me & ratio & auctoritas movet. Et, Omnis auctoritas cedit rationi. Et Cicero: Tantum opinio præjudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas. Aliquando generalis est; ut cum dicitur: Ratio ab auctoritate ducta: argumentum ab auctoritate ductum.

PROBLEMA LII.

An testis & testimonium hic unum sint?

Hadrianus.

IN jurisprudentia inter testem & testimonium discernitur. Nam testibus se, non testimoniis crediturum, rescripsit Imperator. In logica verò inventione metonymicè testis & testimonium (ut ars & artifex) pro eodem accipiuntur, ac res testata correlatum est. Sed quid istud est? Testibus credere, non testimoniis. Respondeo: Sententia hæc est: nihil aut parum fidei habere dictum testis, nisi hujus persona spectetur. In persona autem ejus in primis conditio exploranda, utrum decurio an plebeius sit; & an honestæ & inculpatæ vitæ; an verò quis notatus, vel reprehensibilis: an locuples vel egenus sit, ut lucri causa quid facillè admittat: vel an ei inimicus sit, adversus quem testimonium fert; vel amicus, pro quo testimonium dat.

PRO-

PROBLEMA LIII.

An Lex pertineat ad testimonii locum?

Distinguitur.

CUM sententię veritas confirmetur lege, non est dubiũ, quin lex sit testimonium.

Sed interdũ dubites: sitne pro efficiẽte, an pro testimonio habenda? ut, cũm dicis, te autoritate legis divinę moveri, ut castè vivas.

Teneatur igitur distinctio: Lex causa efficiens est facti, quatenus principaliter movet agentem, ut: Jonathas texit Davidem contra voluntatem patris, motus lege: Non est injustè faciendum parentum aut amicorum causa.

Si quæstionis veritas vel falsitas confirmatur ex lege, Lex testimonium est, ut; non omnis cædes est nefaria. Argumentum à testimonio legis: quia lege naturali permissum est, defendendi sui causa latronem interficere. Itẽ, Jonathas rectè texit Davidem contra dictum patris: quia lex dicit: Ne communices alienis peccatis. Interim lex quoq; effectum est auctoris sui, ut hominis vel Dei.

Melan. in 4. li Dial. Lex, inquit, est causa impulsiva, quia est cogitatio agentis, qua impellitur ad agendum, ut: Fabius lege movetur, ut deponat dictaturam.

PROBLEMA LIV.

An Lex naturæ ad testimonium divinum pertineat?

PETRUS Ramus legem naturæ testimonio humano subjicit. Alii contrà divino. Hi considerant, quodd divinitus omnium

animis est insita, & est velut vox Dei, & sapientia mentis divinæ. Ille verò, quod omnibus hominibus communiter inest ita, ut homines sint testimonii illius efficiens proxima, seu testentur immediatè ex lege naturæ, seu testimonium illud (legis naturæ dico) effectum sit propriè hominum.

PROBLEMA LV.

An vera sit P. Rami sententia, cùm ait: Cùm exquisita rerum veritas subtiliùs exquiritur, per exiguam vim probationis testimonium habere?

A N N O T A V I T D. Joh. Piscator, amicus meus optimus, hanc assertionè tantùm esse verã de humano testimonio; quòd verè divinum probationis vim habeat maximam. Sed D. Fridericus Beurhusius disputat pro Ramo, esse κατὰ παντός, id est, de omni testimonio veram: quòd testimonium divinum, non quidem cùm simpliciter creditur, sed cùm exquisita rerum sacrarum veritas subtiliùs exquiritur, per exiguam probationis vim habeat. Nunc autem nostrum est, potius Deo affirmanti aliquid firmiter credere, quàm scrupulosè in rationes inquirere. Ac memorabilis est sententia Talæi in ejus Academia. Nullane in re fides sine certa ratione argumentoq; perspicuo laudanda erit? Imò

Imò verò divinis in rebus plus certa firmaq̄;
fides ponderis habebit, quàm omnes omniū
philosophorum disputationes. Hæc autem
de humana philosophia contentio nostra est,
in qua prius cognoscendum, ut credas. In di-
vinis autem, quæ humana intelligentia supe-
riora sunt, fidendum credendumque est, ut
postea cognoscas. Dicat aliquis: Auctoritate
purè loquentium Grammatica continetur.
Ergo auctoritas permagnam aliquando vim
habet. Antecedens declaro: Quòd Mens &
Corbis fœminino genere dicuntur: Mons
& Orbis masculino. Quòd Sopor habet pri-
mam longã; Sopor primam brevem. Quòd
dicitur: Facio jacturam, pro Patior; non ve-
rò, Facio pœnam. Quòd deniq; dicitur: Facio
verba; non Facio sermonem; id omne aucto-
ritatis est, quæ usurpare hoc potest:

Ramus in
Scholis Græ-
mat. pag 15.

Sic volo, sic jubeo; sit pro ratione voluntas.

Quare quod de tenuissima fide testimonio-
rum dicitur à Ramo, generatim verum non
est. Respondeo ut antè, Ramum non dicere
simpliciter parùm probare testimonium; sed
cum adjectione, cum exquisita rerum veritas
subtiliùs exquiritur; id est, cum accurata de-
monstratio, & primaria scientia quæritur.
Talem autem in Grammaticis rebus non re-
quiri. Deinde, etsi istarum rerum ratio certa
reddi nequit: auctoribus tamen linguæ fidem

adhibemus; quia sapientes eos esse existimamus. Non omnium, quæ à majoribus scripta sunt, ratio reddi potest. Nec tamen simpliciter majores fidem faciunt; sed quòd probabilis sit, quam illi habuerunt, ratio, licet nobis ignota. Idem de Grammaticis fortè judicandum. Dico fortè, quia tertia hæc solutio videtur infirmior; cùm multa sint ejusmodi in re grammatica, ut ex arbitrio tantùm & placito primorum autorum pendeant. At quid dicam de experientia & lege naturæ? annon hæc necessariò probant? Hæc etiam testimonia sunt. Respondeo: Hæc necessariò probant, quia adjuvantur argumento artificiali. Verum est, ignem urere, quia experientia hoc docet, quæ nititur sensu & naturæ actione uniformi. Lex naturæ satis probat: quia est rivulus sapientiæ, justitiæ, & voluntatis divinæ.

APPENDIX AD LOCUM NOTATIONIS & CONJUGATIONIS.

An quod primum vel ortum est in Logica, semper quoque in Grammatica tale sit?

Negatur.

IN Notatione & Conjugatione Logica interdum contra Grammaticam Etymologiam & originem exquiritur. Grammaticus enim potius nomen quàm rem spectat. Logicus

gicus verò potius rem quàm nomen. Grammaticus spectat fines vocum, omninoq; adsignificationes; quæ accidentia vocum dicuntur. Logicus verò rerum significatarum naturam & vires. Grammaticè Justitia est à jure, vel potius à justo. Logicè verò jus à justitia esse potest, ut effectum à causa. Justitia enim & æquitas naturalis, est fons & norma juris. Quòd verò quidam dicunt, Justitiam dictam à jus & statuo, quòd jus statuat in quemq; id est, jus suum unicuique tribuat pro dignitate cujusq;: hæc est pulchra allusio, non verò propria notatio. Perionius verba stare, sedere, accubare, ab his nominibus, status, sessio, accubatio, orta esse ait in Dialecticorū suorum lib. i. cùm grammaticè nomina à verbis ducta sint. Sed sequitur Aristotelem, qui verba illa orta esse à nominibus in Categoria relationis fatetur: sicut Logicè tristis est à tristitia; non verò Grammaticè. Argumentor verò & Logicè & Grammaticè est ortum ab Arguo, vel, ut proximam dicā originem, ab Argumento.

Ius est à justitia, re potius quàm nomine.

Sic notatio est virtus à vi mentis, vel à viro: sed allusio est, quod est quiddam virum tuens.

APPENDIX AD LOCUM EFFICIENTIUM.

An Ars sit in causis Naturalibus numeranda?

PLAEUIT περι τέχνης τεχνολογείν, & Artem adagens consilio ieu λογικόν reducere, non ad efficiens natura. Id modestè examina-

Ars facit vel movet machinam aliquam. Quæritur an fa-

brefacti & motum illa causa fit potius ad Rationale quam Naturale efficiens referenda.

vit M. Christophorus Megabacchus, cui tantum abest ut succenseam propterea, ut etiam gratias agam, & studium ejus collaudem. Verum cum nondum pristina deseram sententiam, & putem nos non *περὶ κατὰ φύσιν*, sed de re utili scholasticis armis concertare: velitationuculam cum illo aggrediar. Primum utrinque, credo, in confesso est, Artem non esse naturam. Junioribus id ostendo syllogisticè: 1. Natura est internum motionis principium. Ars non est internum motionis principium. Ergo ars non est natura. 2. Artificialia non sunt naturalia; & ars opponitur naturæ. Nam situm esse vel stare est naturæ, ut mundus, animalia; vel arte, ut urbes, ædificia. Et eorum quæ sunt, alia natura sunt, alia non natura; ut ea quæ sunt ab artibus, inquit Virus Amerpachius. Ergo ars non est natura. Secundò, extra dubium etiam est, artem non esse voluntatem ipsam, sed adjunctam agenti rationali; quia est habitus intellectus, qui exercetur mente & voluntate. Hoc igitur in quaestione relinquatur: Utrum inter agens natura & consilio medium agens arte statuentum sit, ut distinctio illa vulgata perfecta non sit: An verò ad alterutrum illorum hoc, quod alicui tertium videri possit, reducendum? Hic cum nullus Logicorum hactenus, quod ego sciam, medium constituerit, nec ego

Lib. 2. de Philosoph. naturali.

ego id ausim. Placet itaque, servata illa *Διχο-*
μία, Artem ad ratione consilioque agens po-
 tius reduci, quam ad efficiens natura; etsi &
φύσσει & λόβη μετέχει. Nec lanè ego primus
 sum, qui ita sentio: sed ante me in ea senten-
 tia fuerunt multi, inter quos è recentioribus
 sunt cordatissimi Philosophi Vitus Amerpa-
 chius, & Esromus, quorum uterque magna
 cum laude V Vitembergæ docuit. Sed Nico-
 laus etiam Selneccerus, quem autorem scio
 te non ponere in minimis, cum philosopha-
 retur ibidem, thes. 28. ubi docet discrimina
 inter naturam & artem, in Epitome Physio-
 logiæ peripateticæ sic scribit: Natura est cau-
 sa naturalis. Ars verò inter voluntarias poni-
 tur. Est enim hæc libertatis particeps, cum
 voluntati obtemperat. Et 29. Res artificialis
 habet formã ab arte consilio artificis. Video
 etiam penitus meos esse acutissimũ Zabarel-
 lum, & felicem ejus discipulum Fortunatum
 Crellium, quorum ille in lib. de rebus natu-
 ral. sic scribit: Alia accidentia à natura & cau-
 sis naturalibus inducuntur: Alia verò à nobis
 per liberum nostræ voluntatis arbitrium o-
 perantibus; cujusmodi sunt omnes formæ ar-
 tificiosæ, quæ à nobis per habitum artis pro-
 ducuntur in materia naturali. Hic verò in
 commentar. i. Aristot. poster. analyt. sic: Vo-
 cabulo artis Aristoteles *πρωταίρεσις* & consi-
 lium

lium complectitur, & loco artis in physiceis *διάνοιαν* ponit. Et ibidem: Quæ à *διάνοια*, id est, consilio & arte fiunt, non fiunt ex necessitate. Sed quid contrà à te afferatur, confideremus.

OPPONENS.

SCIS illa agere *ἐν ἀναγκασιότητι*; quæ multifariam agunt. Sed ars, ut Dialectica, semper eodem modo agit, neq; consultat de *τέρας ποιήσεως*, modo agēdi, qui est & manet uniusmodi, ita, ut illa aliter agere non possit: (imò si aliter ageret, non jam esset ars seu habitus) ut natura semper in actionibus naturalibus sibi constat. Ergo ars non agit *ἐν ἀναγκασιότητι*.

RESPONDENS.

AD assumptionem partim per distinctionem, partim per inficiationem respondeo. 1. Ars agit eodem modo in genere, nimirum bene recteq; Sed in specie agit diversimodè. Nunc enim syllogismum fabricat in prima, nunc in secunda, nunc in tertia figura: nunc *ἀναλογία*, nunc *κρύψιν* adhibet. 2. Ut maximè ars non consultet *περὶ τέρας ποιήσεως*; consultare tamen potest de qualitate & forma, quæ varia est, in materiam inducenda. 3. Quædam artes de modo agendi in specie cōsultant: Medica de modo & ratione phar-macon exhibendi. Nautica de modo navigationis, sitné utendum prima navigatione, an
secunda:

secunda: obliquone cursu, an recto. Sic Dialectica deliberat, præstetne in præsentia materia uti ductu viaque argumentandi directa an obliqua: demonstratione *ἐνδείξα*, an ea que *εἰς πλάγιον* dicitur. 4. Dialectica docens non consultat de modo *ποιήσεως*: non enim nisi universalia minimeq; fallentia tradit præcepta, è singularium observatione & animadversione collecta. Operans verò consultat de eo quadantenus: quia versatur in singularibus, hoc est, efficit res singulares: ad quas efficiendas etsi utitur universalibus & constantibus præceptis; tamen deliberat, quo particulari instrumento potius utendum sit, ordone naturæ an prudentiæ adhibenda: viæne analytica an synthetica insistendum: incipiendane *ἡύεσις* operis à principiis externis, sine & efficiente; an ab internis, materia & forma. 5. Artes quasdam non semper eodem modo efficere, testis est locuples Aristoteles in Ethicis, lib. 3. cap. 3. Que, inquit, à nobis effici possunt, non autem *eodem modo*, ea demum cadunt in deliberationem; ut ea quæ medicina, numulariorum & gubernatoris artes tractant. 6. Ars quidem non est rationalis in se *ἐν ἑαυτῇ* prius: ars enim non est potentia seu pars essentialis animi; sed *ἔχει λόγον*, habet rationem *μεδέξῃ* quadam *διδάξῃ*, quia est affectio animi.

OPPONENS.

HOMINEM quidem arte instructum, seu artificem, nō artem seu habitum ipsum hoc vel illo modo agere concesserim. Ars enim habitus constans est, nec nisi eodem modo semper agit.

RESPONDENS.

INTER artificem & artem hīc non necesse est distingui, Artem differere, & artificem differere idem hīc sunt: ut idem est, siue dicas: Definitor explicat, siue definitio explicat. Dialecticus versatur in hoc themate: & Dialectica operans versatur in hoc themate, eodem recidunt. Affero huc auctoritatem Amerpachii, libr. 2. de Philosophia naturali, pag. 150. *Ensis efficiens est faber ejus generis, aut ars ipsa. Nam inter haec non distinguitur.* Quid quaeris? Ut in hac disputatione pro eodem accipiuntur agens natura, & natura; fatalis causa, & fatum; agens voluntate, & voluntas: Sic & agens arte, seu artifex, & ars. Sic quod liberalis est, tribuitur in Ethicis liberalitati; & vicissim: Officium liberalitatis & liberalis idem est. 2. Ars habitus constans est, qui utitur fulsusq; est recta ratione, nec est levis affectio. Interim ratione suae materiae subjectae particularis variè agit, & artis effectio est multiplex, attestante etiam Caso & aliis interpretibus Ethicorum Aristotelis. Et hoc respectu
ars

ars velut πολυποίκιλον dici potest, & fortunæ ab Aristotele assimilatur. 3. Si ex artis constantia, & voluntatis inconstantia ita colligas: *Ars est habitus constans. Voluntariè verò agens agit inconstanter. Ergo non potest ars referri ad voluntariè agens.* Respon. Constantiam non tollere spontaneum. Nam Virtus est habitus constans, & tamen spontaneus, & actiones ejus spontaneæ. Qui bonus est (ἐκλικῶς) non nisi bene potest agere: qui malus est, non nisi malè: & tamen utriusq; actiones sunt voluntariæ. Ad habitus enim spontaneos satis est, si illorum principium tantum sit in nostra potestate. Actiones verò spontaneæ sunt, quia à principio ad finem usq; in nostra sunt potestate, teste Aristotele in Ethicis. Sed illustrius exemplum habemus in Deo, qui hoc universum quod creavit, constanter gubernat, & tamen liberrima voluntate. Voluntatis divinæ, quæ immutabiliter bona est, omnes effectus sunt boni; & quidem effectus sunt liberrimè agentis causæ. Nihil igitur obstat, quò minùs artis quoq; effectus dicantur reduci ad effectus agētis judicio; etsi non aliter quàm sic, id est, bene agere dicatur. Sed ne multa; vicissim ego pono hoc: Actiones artis sunt rationales potius quàm naturales; quia ars quædam prudentia est Ciceroni & Platoni; & est in intellectu, cum quo conjuncta

Theodor.
Zuing. ex
Arist. lib. 3.
Eth. cap. 3.

juncta est in opere fabricando vel fabricato jam antè resolvendo. Ergo ars reductivè potius referenda est ad agens rationale, quàm naturale. Dico cum vulgo Reductivè: quia non volo simpliciter idem esse, arte & voluntate agere: sed tantùm artem ad causam efficientem ratione & consilio (eoq; certo) reduci.

OPPONENS.

QUOD respondes ad object. ex Aristotele: τέχνη ἢ βυλδέπια, restringendum esse ad artes fabriles: solutio hæc hîc minimè locum habere potest. Quid enim obstat, quò minùs hoc axioma generale esse possit? &c.

RESPONDENS.

NON nego, omnem artem posse consultare. Sed pronunciatum Aristotelis in *Physicis*: Ars non consultat, κατὰ τὴν ἰντελλίγο cum interpretibus, qui annotant Aristotelem, cùm artem confert cum natura, loqui de *Mechanica*. Ars scilicet fabrilis, ut quæ textit, construit, sicut, non consultat, puta de materia, (quæ definita & certa est) & de ratione faciendi, quatenus una tantùm est. Sutor non deliberat, an ex alia materia quàm corio calceus sit consuendus. Ædificator non deliberat, an priùs sit fundamentum ponendum quàm tectum erigendum: quia una in arte

Videris F.
Crellii commentaria in
ἐπιτομῆν,
& in Epitome
Senece.
lib. 24.

arte ejus ratio ac ordo est agendi. Interim artem fabrilem de qualitate seu forma rei interdum consultare, non negatur. Artes verò *σοφιστικῆς* conjecturales, seu in conjectura positæ (ut est Medica) aliquando consultant de materia, commodis instrumentis, qualitate, & omnino mediis ad finem ducentibus. Quò pertinet antè allatum testimonium ex 3. Eth. cap. 3. Aristot. & hoc ibidem: Sæpius in deliberationem cadunt, quæ ab artibus, quàm quæ à scientiis proficiscuntur.

OPPONENS.

ARTIFEX quidem seu *ποιητής*, qui arte instructus est, & ea utitur, potest consultare de mediis ad finem spectantibus, vel etiam de modo atque agendi ratione. Sed ars quæ efficiendi est habitus, de agendi modo nequaquam consultat. Nec puto artem judicare de opere è regulis artis: sed artifex, qui arte instructus est, de structura operis judicat ex norma, & præscripto artis. Quod minimè tollit, artem non semper uniformiter agere.

RESPONDENS.

ANTE ostendi hîc concretum ab abstracto non distingui, id est, artificem esse agens *πραγματικόν*, & artē esse tale agens, hîc esse paria: ut paria sunt, Medica ars est causa sanitatis, & Medicus est causa sanitatis. In Platonis Gorgia, Rhetorica dicitur

πειθῆς διμυροῦς, id est, persuasionis opifex seu
 artifex: Sic & Rhetor ipse. Dialectica inda-
 gatrix est, percontatrix est, singulas artes dis-
 cutit Aristoteli: Eadem etiam tribuuntur re-
 ctè artifici. Aristoteles idem dicit, cùm ait 1.
 Top. cap. 2. Artis esse invenire, quod apposi-
 tum est ad persuadendum: & tamen 1. Rhet.
 capite primo hoc ipsum tribuit artifici. His
 addo hoc: Si artifex, quatenus artifex; si ar-
 chitectus, quatenus architectus, agit consi-
 lio: ars quoq; rectè dicetur ita agere. Artifex
 enim est præditus arte, architectus arte ædifi-
 candi: per hanc suam formam; videlicet ar-
 tem, agit artifex (sicut Arist. ait, 2. Phys. cap. 3.
 ædificator ædificat ædificandi arte) idque ut
 mecum fateris, cōsilio. Ergo & ars particeps
 est consilii. Aliquādo quidem distinguuntur,
 ut causæ sunt artifex & ars, ab Aristotele in
 2. Phys. quòd ars sit prior causa, id est pro-
 prior, quàm artifex. Sed tamen, quod à me est
 contra te, utriq; effectum idem tribuit. Et æ-
 dicator, & ædificandi ars, est Aristoteli cau-
 sa ædificii. Nec est quòd arti detrahas judiciū,
 quæ habet sua *κρίματα*, & iudicii regulas. Sanè
 propter quod unumquodq; inest, vel tale est:
 illud magis inest, vel tale est. Artifex iudicat
 propter artē, seu ex consilio artis, ut ait Tem-
 pelli. Ergo ars *κρείωτερον* & *περισσότερον* αἴτιον
 (ut cum Themistio loquat) est iudicii. Ut
 igitur

igitur artifex agit, ita & ars agit. Si artifex uniformiter; dicitur & ars agere uniformiter. Si artifex diversimodè, ars item.

OPPONENS.

Nec est quòd obtendas definitionē Aristotelis ex 6. Ethic. cap. 4. *Artem esse ἐξιν ποικίλῳ μὲν ἔργῳ*: quæ naturalem *δύναμιν* agendi arti non adimit. Præterquam enim quòd Aristoteles dicto loco non de arte ἀπλῶς, seu simpliciter considerata, quatenus habitus est, disputat: sed de arte relata ad artificem, quem sensum ipsa verba Arist. penitus inspecta important: disputat ibi de habitibus, quorum alii dicuntur *πραγματείας*, alii *ποιείας*: item quomodo artifex in contemplationibus & *θεωρίαις* legitimè iis uti possit. Deinde ideo conjungit rationem cum arte, quia interdum artifex arte potest abuti: ut si quis Rhetorica ad adulandum, Dialectica ad fallendum abutatur: quod quidem esset arte uti cum ratione, sed ad diversum finem. Tertio, manifestam differentiam important verba illa Arist. addita in definitione *μὲν ἔργῳ*. Disjüngunt hæc verba rationem ab arte manifestè. Ars enim per se semper est uniusmodi, & agit uniformiter; sed hæc ratione stabilitur & ducitur quasi, imò dirigitur ad effectum producendum.

RESPONDENS.

AT ratio est consentanea & essentialis arti: quia ingreditur in definitionem artis, & pertinet ad formam genericam. Habet igitur ars non tantum naturalem, sed rationalem *δύαμιν*. Vera igitur causa, cur Aristoteles utitur in definitione artis particulis *μετὰ τὸ λόγον*, est; quia sine his non est perfecta definitio; & quia ars recta ratione utitur, seu quia, ut est apud Platonem in Gorgia, ars est *πειραματεία*, non *ἀλογος*, sed *μετὰ λόγον, θεωρητικὴν ἔχουσα τὸ βέλτιστον*, id est, modus agendi, seu ratio quædam, seu via cum ratione cōiuncta, provisionem habens optimi, id est, quæ certo consilio ad optimum finem refertur.

OPPONENS.

CONCLUDO ergo, ut vela ventilationis contraham: Artem quidem, quatenus simpliciter ut habitus consideratur, naturam perficiens, cum ex ipsa natura hauriatur per quotidianam observationem & experientiam, semper uniformiter, sine deliberatione vel consilio agere: & ex consequenti, esse agens naturale.

RESPONDENS.

ET si ars proficiscitur à natura, & hanc perficit, non tamen naturalis, sed *δύαμις* dicitur habitus, acquisitus exercitatione, industria & studio, ut causis propioribus;

bus; & agit potius artificiosè quàm naturaliter. Quod quia ita est, & ars præcepta ut certa consilia habet agendi, & est ingeniosa: & artificiale est quod habet esse tale, quale non haberet, si voluntas cum intellectu *νοῦς* non concurrisset: & quæ ab arte fiunt, intellectum ut potentiam efficientem, & voluntatem ut potètiā imperantem & exequentem requirunt: & cum arte ad opus perficiendum conjuncta est diligentia & fides: & ars operans variat sua effecta, ut facultas poëtica unam sententiā mille modis, ac diversis metrorum generibus variat & commutat. Concludo igitur, cum dicitur ars esse principium cujusdam effecti, Artem ad efficiens ex proposito referendam potius quàm ad naturalem: sicut ipsum agens ex arte, quod efficit *λογικῶς* & multipliciter (ita tamen ut bene agat, sicut libertas angelorū bonorū fertur ad bonum) & quousq; vult. Sic & virtus moralis cum actionum causa dicitur, potius in causis agentibus *ἐν ἀγαθήσει*, quàm naturalibus numeranda est. Etsi nō dissimulo interim, 1. Virtutē & artem etiam dici posse quasi naturales causas, quatenus virtus consideratur tanquam altera natura; & ars naturæ, quæ constanti cum appetitione efficit, a mula. 2. Arte facere, non esse propriè voluntate facere: ideoq; hæc re-
 Ciceronem, Perionium, & Cælium Se-

Correctio
 cōclusionis,
 qua conce-
 ditur: Ars ef-
 se quasi na-
 turalis caus-
 sa effectorū
 suorum.

cundum distinguere. Quid igitur si dicere-
 mus, (non fortasse malè) artem agere partim
 natura, partim ἐκ προαιρέσεως, ut quædam a-
 gentia per se sint mixti generis? ut: videntur
 pater & mater esse causa procreans partim
 φυσικῆ, partim naturalis, cùm genuerint
 & vi naturæ, & iudicio consilii, ut Deus &
 naturâ & voluntariè bene facit: &, nos par-
 tim vitiositate nativa, seu inclinatione & ap-
 petitione naturæ, partim voluntate pecca-
 mus. Inquis fortasse: Hic ego non nimium
 quæro, requiro modum. Hæc ergo, mi M.
 Christophore, ad examen tuum modestum
 responsa breviter sunt: si rectiora edoctus
 fuero, hæc corrigam & abjiciam. Neq; enim
 ulli opinioni tanta adhæreo pertinacia, ut
 firmioribus rationibus ab ea non patiar me
 avelli. Nec τὸ πάντῃ ὀρθοπαθεῖν πρὸς τὴν
 ἀψήθειαν mihi arrogare possum
 aut debeo.

FINIS II. PARTIS.

INDEX.

Sic consue-
 tudo altera
 natura est, &
 tamē volun-
 taria esse po-
 test.



INDEX IN SECUN-
DAM PARTEM.

DE CONJUGAT. ET ETYMOLOG.

An Conjugatorum locus sit omnino nullus, fol. 5.

*Paronymum sitné Adjectivum an Substantivum No-
men, f. 7.*

*An quod primum vel ortum est in Logica, semper
quoq; in Grammatica tale sit, f. 118.*

DE NOTATIONE.

Homo dicitur ab humo, f. 78.

*An Etymologia Logica & definitio nominis disse-
rant, f. 28.*

DE TOTO ET PARTIBUS, HOC EST,
Integro & Membro: Genere & Specie.

An Totum Topicum sit expers partium, f. 18.

An integrum oriatur ex effectis: membra è causis, f. 19

Partesne Integro priores, an contra, f. 15.

An Idea, id est, genera sint, f. 20.

Utrum genus sit totum an pars? f. 21.

*Utrum genus insit speciei an contra: & sitné pars in
toto, an totum in parte, f. 22.*

*Quid sit respondendum ad Quid est: Definitione po-
tius an genus, f. 26.*

*An sit in disputationibus philosophorũ genus aliquod
præter Synonymum, f. 33.*

An Deo genus Logicum tribui possit, f. 46.

Genusne speciem an species genus contineat, f. 63.

- An mas & fœmina sint species animalis, f. 64 & 65.
 An quicquid generi insit, insit etiam speciei, f. 67.
 An species specie naturâ prior sit, f. 68.
 An ultima species sit, quæ proxima est individuis, f. 69
 An Individua sint species specialissimæ, f. 58.
 An nomen proprium, quod Grammatici dicunt, sit
 ipsum individuum in Logica, f. 108.
 An omnia exempla sint individua, f. 68.
 Utrùm Sol, Luna, Mundus, sint individua, an species,
 fol. 30.

DE DISTRIBUTIONE.

- An distribui aliquid possit Logicè in Entia & non En-
 tia, f. 12.
 An aliqua sit divisio nominis, f. 72.
 Quæ sit quarta forma divisionum, f. 73.
 De exemplis quibusdam distributionum, f. 75.

DE DEFINITIONE.

- An Locus definitionis in argumentis primus sit, f. 79.
 An omnis definitio ἐννοματικὴ, seu nominis, quæ vo-
 catur, sit oratio? f. 78.
 Definitum vel descriptum, an pars sit definitionis vel
 descriptionis, f. 80.
 An una voce constare possit definitio rei? Item, an ora-
 tio ἰσόκωλος, hoc est, tot vocibus constans, quot ex-
 primitur definitum, sit rei definitio, f. 82.
 An Definitio & definitum differant, f. 85.
 An sit unius rei una tantum definitio essentialis, seu
 propria & perfecta, f. 86.
 An subjectum possit esse genus in definitione perfecta,
 fol. 88.

I N D E X.

An in animalis descriptione redundet Mortale, f. 89.

An definitiones ex merè negantibus sint vitiosæ, f. 91.

Utrum *ὄνομα* seu definitum notius sit definitione: an definitio definito, f. 94.

An definitionis pars sit definitum? & an definitio sit integra oratio, seu enunciatio, f. 94.

An omnis definitio sit è notioribus & prioribus, f. 95.

An omnis definitio rei constet minimùm vocibus duabus, f. 97.

An definitionis rei genus sit oratio, f. 99.

An verum sit dictum: Notitia intuitiva est definitio, fol. 100.

An in definitione vocabula adhibenda sint idem significancia, f. 101.

An unius rei possint esse perfectæ seu essentielles definitiones plures, f. 102.

An definitiones sint essentielles, quæ generi & differentia specificæ adjungunt proprietatem vel causas externas, f. 103.

Genus sitne materia an forma, f. 58.

An forma specificæ possit fieri genus, f. 105.

An Irrationale sit differentia bestia, f. 107.

DE MODIS EJUSDEM.

An ad idem Numero, Specie, Genere, adjiciendum sit idem proportione, f. 42.

An idem numero accidens, in diversis possit esse subiectis, f. 109.

DE TESTIMONIO.

An testimonium sit argumentum, an aliquid arguat? f. 113.

- An in animalis descriptione redundet Mortale, f. 89.*
An definitiones ex merè negantibus sint vitiosæ, f. 91.
Utrum ὄνομα seu definitum notius sit definitione: an definitio definito, f. 94.
An definitionis pars sit definitum? & an definitio sit integra oratio, seu enunciatio, f. 94.
An omnis definitio sit è notioribus & prioribus, f. 95.
An omnis definitio rei constet minimùm vocibus duabus, f. 97.
An definitionis rei genus sit oratio, f. 99.
An verum sit dictum: Notitia intuitiva est definitio, fol. 100.
An in definitione vocabula adhibenda sint idem significantia, f. 101.
An unius rei possint esse perfectæ seu essentielles definitiones plures, f. 102.
An definitiones sint essentielles, quæ generi & differentiæ specificæ adjungunt proprietatem vel causas externas, f. 103.
Genus sitné materia an forma, f. 58.
An forma specificæ possit fieri genus, f. 105.
An Irrationale sit differentia bestia, f. 107.

DE MODIS EJUSDEM.

- An ad idem Numero, Specie, Genere, adjiciendum sit idem proportione, f. 42.*
An idem numero accidens, in diversis possit esse subiectis, f. 109.

DE TESTIMONIO.

- An testimonium sit argumentum, an aliquid arguat? f. 113.*

I N D E X.

An testis & testimonium hic unum sint? f. 114.

An Lex pertineat ad testimonii locum? f. 115.

An Lex natura ad testimonium divinum pertineat?
fol. 115.

An vera sit Petri Rami sententia, Cùm exquisita rerum veritas subtilius exquiritur, per exiguam vim probationis testimonium habere? f. 116.

Appendix pertinens ad causam efficientem: de qua in prima parte.

An Ars sit in causis Naturalibus numeranda? f. 119.

FINIS INDICIS.



